

1770.

1. Larber de Hörschen, Ignatius Christopherus : De iure formandi
praescriptionum cisterciensium systemate
2. Ritter, Joannes Georgius : De consensu fidelium in generali
et in specie de personis consentientibus.

1777.

- Puelz, Georgius Thesaurus : De liberarib[us] Imperialis
sive ad successionem fundalem in parte socii vacua
hand a sumptuando.

1778.

1. Schott, Joannes : De legatis natis.
2. Ulzheimer, Josephus : De agnato dominio veralli,
absentis et at nobiliti immediati curatore agere
et redditus hereditus mortibus rationes nomine
obligato, sed verallo ejus ac prole mascula hand
retine fructus fidelis suo faciente.

1787.

Ritter, James Georgius: De rebus feudis et gentili-
tiv variis que circa eam controversias se gerere
et in specie ^{nunq; is} multis fidei et sub hasta venturo
100m ultinat.

1789.

1. Goenner, Nicolaus Thassius: De mutuo domini' locato-
riali et subiectorum consensu et mutuorum reli-
giosis exercitiam contra observantiam anni
normalis necessario et sufficiente.

2. Pfister, Carolus Melchior: De jure feudorum
extra curiam.

3. Schott, Joannes: De privilione feud' ab ren-
valionem iuris titulac ex dolo aut culpa lata
neglectam decernenda.

1792.


1. Pfister, Ciriaco Melchior: De anterioris perturbacione
feudorum et colluvialium in eam separacionis
feudis ab allodium.
2. Zorn, Cyriacus: De patriarchatus.

1795

1. Dorn, Antonius: De aeris atmospherici in corpore
humano, ex parte et salubri et noxiis.
2. Bick, Dom. Bfst. Dominicus: De salubritate
Bambergensis.
3. Pfister, Ciriaco Melchior: De imperfecto
feudorum in space.

1797.

- Zorn, Cyriacus: Sacrae civitatis Germaniae causarum
juriis religionem conservacionem delineatio.



19.

1770, 2

F. g. num. 2.

2

DISSE^TRAT^IO
DE
CONSENSU FEUDALI
IN GENERE, & IN SPECIE
DE
PERSONIS CONSENTIENTIBUS,
QUAM

UNA CUM COROLLARIIS, EX UNIVERSO JURE
DESUMPTIS


EX
INCLYTI SENATUS JURIDICI DECRETO
SOLO DEO PRAESIDE
PRO
SUMMIS IN UTROQUE JURE HONORIBUS
RITE CONSEQUENDIS
IN ALMA BAMBERGENSIMUM UNIVERSITATE
PROPUGNABIT

JOANNES GEORGIUS RITTER,
REVERENDISS. & CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS,
EPISCOPI BAMB. & WIRCEB. CONSILIARIUS AULICUS,
ET IN HACCE UNIVERSITATE INSTITUTIONUM IMPE-
RIALIUM ET JURIS NATURAE PROFESSOR
PUBLICUS ET ORDINARIUS.


H. L. Q. C.
DIE MARTII MDCCLXX.



TYPIS JOANNIS GEORGII KLIETSCH, ALMAE UNIV. TYPOGRAPHI.



REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO, DOMINO
ADAMO FRIDERICO
DEI GRATIA
IMPERIALIS ECCLESIAE BAMBERGENSIS
ET
CATHEDRALIS WIRCEBURGENSIS,
EPISCOPO,
FRANCIAE ORIENTALIS DUCI
reliq. reliq.
DOMINO, DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO.



REVERENDISSIME
ET
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
LONGE CLEMENTISSIME!



Quantopere TIBI, REVERENDISSIME & CELSISSIME PRINCEPS!
obaeeratus sim, nōrunt omnes, &
ego quām maximē. Sub gloriosissimo
enim Regimine TUO mihi obtigit gra-
tia & felicitas, ut in numerum servo-
rum Principatūs TUI Bambergensis
redigerer: ex TUA Clementia nuper
ad

ad munus docendi publicum vocatus,
& ad dignitatem Consiliarii TUI Auli-
ci eve^{ct}us sum,

Sed nōrunt quoque mecum omnes,
quòd non sim solvendo. In historia
Germanica legitur , quòd olim debi-
tor , non existens solvendo , ad ma-
nus creditoris se tradiderit. Hunc mo-
rem antiquum renovandum & mihi
sequendum puto. Ad geniculor igit
tur Solio TUO , & TIBI me totum
mancipo , idque eò lubentiūs , quò
certior sum , TE esse PRINCIPEM ,
uno verbo complector omnia , verè
OPTIMUM , CUJUS sapientissimis ,
prudentissimis , justissimis , simul ac
Clementissimis obtemperare manda-
tis

tis non est servitus ; qualis olim fue-
rat debitorum ad creditoris manus
traditorum , sed vera libertas , & glo-
ria maxima : TUO adgeniculor Solio,
humillimè rogans , ne me emancipes ,
sed mihi servo & debitori TUO , quem
facultas solvendi deficit , imperare
pergas : rogans rogo , ne pagellas
hafce , quas tenuissimas esse scio , de-
spicias , sed voluntatem animumque
submissione & gratitudine pro collato
in me gratiarum TUARUM cumulo
plenum adspicias , insimulque cogites ,
à sole non montes duntaxat , sed etiam
valles lumen fœnerari . Deus , fons
omnis boni , servet TE PRINCI-
PEM OPTIMUM , TE PATREM
plu-

plurium, quem patria an Bambergensis, an Wirceburgensis magis reveratur & amet, liberi & subditi utriusque TUI amico non desinent certare bello. Deus benedicat TIBI. Hoc animitūs vovet, hoc ardentissimis à Numinе immortali precibus efflagitat, qui TIBI se totum mancipavit, & ad extremum usque halitum gloriabitur, se esse

REVERENDISSIMAE
CELSITUDINIS TUAE

servorum infimum

Joannem Georgium Ritter.



DISSE

TATIO

DE

CONSENSU FEUDALI IN GENERE,

ET IN SPECIE

DE PERSONIS CONSENTIENTIBUS.

§. I.

Tot ferè circa definitionem feudi sunt sensus , quot capita. Maxima difficultas in constitudo ipsius genere exsurgit. Feudum in genere , & quatenus in significata suo nobiliore (a) sumitur , definio per Jus pro fidelitate praestanda loco salarii (b) concessum. Haecce definitio prae aliis (c) vel ideo mihi placet, eo quod de omni feudo , & omni tempore vera sit. Jus versatur vel circa personas , vel circa res , estque vel ad rem , vel in re.

Qualemque autem Jus , dummodo in commercio existat , recte in feudum concedi potest; unde frustra obvertitur , quod genus nimis remotum in definitione mea adhibuerim. Nam ex specie definire genus, aut ex maiore & potiore parte definitiones confidere , non est logicum.

(a) Scilicet pro ipso Jure , quod vasallo intuitu rei pro nexu fidelitatis permisae competit. Denn wegen des Rechts
(inquit Titius im teutsch. Leh. Recht cap. 4. §. 6.) wird eine
Hand

Handlung vorgenommen , und kan auch die Sache nicht ein
Lehen genennnt werden, wenn das Recht davon abgezogen wird,
dahero geschiehet es auch vielmahl , daß durch das Lehen
Recht und Sache zugleich angezeigt wird. 3 E 1 f. 1. 2.
f. 9. 11. 15 24. sc. Qui feudum per conventionem defi-
niunt, illis perpendendum esset, quod modus non ingre-
diatur essentiam, seu quod actus, quo feudum constitui-
tur, præcedat, feudum autem actu sit consequens. Qui per
rem definiunt, non effugere posse videntur censuram Cu-
JACH lib. 3 feud. tit. 1. pag. 720. ajentis : „ res est mate-
„ria feudi; multum autem interest inter materiam feudi &
„feudum. Imperiti Philosophia Jurisque id, quod tradi-
„tur possideturque , tantum spectant.

(b) Potest fieri, ut quis habeat dominium utile , aut usum fru-
etum, sic dictum germanicum, ac quoque fidelitatem præ-
stare debeat , & tamen ejus praedium non sit feudale, quia
dominium utile non est concessum pro fidelitate tanquam
merces. exemplo sunt die Hochfürstl. Bamberg. Cammer-
und Casten. Lehen. conf Burc. Goth. STRUV. Elem. Jur.
feud. cap. 1. §. 7.

(c) Quas vix non omnes sub examen misit Jo. PETR. LUDE-
VVIG. de Jur. Clientel. sect. 2. cap. 1. Quamvis idem & ipse
mereatur; quis enim, ut multa alia taceam, feudum Jure
belli, aut per præscriptionem, invito & ægrè ferente Do-
mino, adquisitum , aut ex mera liberalitate , & sine ulla
spe cuiusdam emolumenti oblatum propriè beneficium do-
mini adpellaverit?


§. II.

EX modò dictis adparet, quod vani & inaneshonorum
tituli , quibus ambitio pascitur , Jus seu facultas
exigendi operas, usuras & reditus, certa pecuniae quan-
titas, etiam citra præstationem cautionis , eumque in
finem, ut statim expendatur & consumatur (a) adeoque
& ipsa cujuscunque habilis rei plenissima & cum jure
utendi

utendi fruendi conjuncta proprietas, (b) & uno verbo res omnes, tam corporales, quam incorporales, tam mobiles, quam immobiles, omniaque facta, intuitu quorum nobis Jus seu facultas moralis competere potest, verum feudi objectum constituant, (c) ac proinde fallantur, qui vel moribus Longobardicis plus justo inhaerentes, vel rerum gestarum documenta negligentes, vel essentialia feudi cum ejusdem naturalibus commiscentes se. Us sentiunt. Etenim totum negotium feudale à Domini & vasalli voluntate unicè dependet, nec absolutè requiritur, ut feudum in re immobili consistat, aut adhæredes transeat, aut proprietas, sive in totum, sive pro parte, penes dominum remaneat, sed sufficit, quod dominus, quippe qui d. res sua pro lubitu disponere potest, Jus qualecumque sub lege fidelitatis in vasallum transtulerit, & hic salario pro praestatione fidelitatis constituto sit contentus. Unde etiam sua sponte sequitur, Jus Domini, vulgo dominium directum vocant, haud necessariò ex reservatione proprietatis rei in feudum datae, aut alicujus partis illius juris, quod in vasallum translatum est, dimetiendum esse, sed per illud essentialiter loquendo, aliud nihil designari, quam jus exigendi à vasallo fidelitatem, & officia ex fide profluenta; sicut enim fides salvifica, ita & vasallitica sine bonis operibus mortua est.

(a) Uide Jo. AUG. FRANCKENSTEIN Diss. de Feud. in pecun. constit. apud LENICHEN, thes. Iur. Feud. tom. 3. cap. 7. sect. 38. pag. 88.

(b) Scrupulum, si quis fortè adhuc subest, tollunt innumera exempla feudorum mēre haereditariorum, & literae investiture ab Imp. CAROLO VI. Marchionibus ab Auria datae, quas integras vide sis apud MOSER. R. H. R. Proefs. part. 3. cap. 2, §. 59. ibi: „& praerepetitos GEORGUM & CLE-
A 2 „MEN-



„MENTEM Marchiones ab Auria in coetum nostrorum Va-
 „fallorum immediatorum assumentes de crebrò dicta terra
 „Montis Aldei , & quibusvis appertinentiis benigne inve-
 „stimus , eademque in qualitate feudi oblati ipsis & eorum
 „successoribus naturalibus & legitimis in feudum antiquum,
 „gentile , nobile , regale , francum , liberum , immune ,
 „ab omnibus oneribus absolutum , in omnibus naturam allo-
 „dii habens , & in quoscumque extraneos , etiam foeminas ,
 „per actus ultimae voluntatis , & inter vivos alienabile &c.
 „secundum antiquas investiturarum tabulas & documenta
 „clementissimè conferimus &c. nihil nobis in isto feudo re-
 „tinentes , praeter solam supremi dominii directi authori-
 „tatem & fidelitatis juramentum &c. , conf. Car. MOL-
 NEUS in consuetud. Gall. tit. I. feud. n. 115. pag. 27.

(c) Distinguendum scilicet est inter feuda propria & impro-
pria , quibus posterioribus , utpote feudis , definitio feudi
quoque convenire debet.

§. III.

FEuđum , sive feudum , ut vel ex etymo patet ,
 (a) tanquam merces pro præstatione fidelitatis ,
 sine qua feudum nec esse , nec concipi potest , va-
 fallo datur . Cum vero merces non possit esse prorsus
 sterilis , sequitur , quod vasallus omnes ex feudo qua-
 cunque ratione provenientes utilitates plenissimè ac li-
 berrimè percipiat , quin & in suum , suorumque descen-
 dentium præjudicium de omnibus feudi commodis &
 fructibus , tam perceptis , quam percipiendis , sive na-
 turalibus , sive industrialibus , sive civilibus tanquam
 de alladio suo pro lubitu , disponere possit , qua super
 re ut dubitem , non finit praxis . Tota enim die cerni-
 mus , filiabus fructuum perceptionem in dotem dari ,
 viduabus , præsertim nobilibus , vidualitum in fructi-
 bus feudi constitui , nec non à Judice , etiamsi non sit
 domi-

dominus directus , vasalli creditores in fructus immitti.

Atque hanc praxin etiam in theoria fundatam puto. quodsi enim usufructarius , quanquam non ipsum usumfructum , attamen ejus utilitatem & commoditatem , in perceptione fructuum consistentem , oppignorare , vendere & donare possit , (b) quid n̄ dicamus , eandem potestate competere vasallo , quippe cuius jura longē pinguiora , quam usufructuarii , esse constat ? Ratio , quam dubitans VULTEJUS (c) aliquie dissentientes adducunt , quod nimurum tali modo vasallus servitia commode præstare nequeat , nullius planè momenti esse videatur. Præterquam enim , quod haec ratio in feudo franco exsulet , & in feudo , ob servitia militaria concessio , propter militiae statum hodie mutatum non generalis sit , nec non vasallus beneficio competentiae gaudeat , extra omnem dubitationis aleam est positum , quod vasallus non praecise ex fructibus feudi , sed aliunde sumptus ad servitia necessarios possit praefitare , nec non pro distinctione temporis (d) fructus adhucdum percipiendos ad haeredes allodiales transmittat. Et licet denique vasallus , servitia non praestans , feudo privetur , non tam eo privatur ob perceptionem fructuum , alteri absque translatione juris in ipsa re feudali concessam , cum etiam privationis poenam incurrat , quando perceptionem fructuum alteri non concessit , sed tamen servitia domino denegavit.

(a) Tò Fe enim , uti LUDEWIG. Jur. Feud. Rom. Imp. cap. 2.
q. 1. ex omnium ferè gentium germanicae originis lexico-
graphis docuit , mercedem & alimoniam denotat , unde sala-
rium medicorum adhucdodie apud Anglos dicitur defitorse.

(b) COCCCI. Iur. controv. lib. 7. tit. 4. q. 3. in fin. MAJER.
synt. Iur. feud. cap. 17. §. 1. n. 2.

A 3

(c)

(c) de feud. lib. i. c. 10. n. 58. pag. mihi 648.

(d) vid. 2. f. 28. c. his consequenter.

§. IV.

Jura vasalli, quæ h̄ic recensere nimis prolixum foret, sat pinguia sunt. Quantacunque autem illa sint; firmo tamen stat regula talo, (a) quod vasallo nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quoquaque modo distrahere, seu alienare, vel pro anima judicare, sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur. Hæc sunt ipsa verba constitutionis, ab Imp. FRIDERICO I. in campis Roncallis latae, quae anteriorem constitutionem Imp. LOTHARII II. insigniter confirmavit, & in quibusdam hac rigidior est. (b) Ratio utriusque constitutionis ex ipso nexu feudali fluit. Vasallus enim feudum tantum pro se quisque descendantibus accepit, nec non domino fidelitatem & honorem debet, cui certè alienatio feudi repugnat, unde etiam vasallus alienans dominum videot contēmnere (c). Deinde alienatio in præjudicium domini tendit, eo quod non duntaxat vasalli, feudis suis exuti, servitia commode præstare nequeant, & per hoc honos domini diminuatur, (d) verum etiam per alienationem pluribus aliis modis conditio domini durior reddi possit. (e)

(a) Hanc regulam velim capias de feudis privatis, & quidem propriis, ad minimum ratione dispositionis & alienationis; nam quoad feuda Imperii majora constitutiones LOTHARII & FRIDERICI non quidem planè in desuetudinem abierunt, sed tamen successu temporis, ob conditionem Statuum Imperii indies immutatam, & in majorem libertatem altiorēmque locum evectam, modificatae sunt, ita, ut Status Imperii

perii unam vel alteram feudi sui partem E. g. certam ptae-
fecturam , villam , pagum &c. fine Imperatoris consensu
alienare possit , prout ex praxi Imperii notissima , & usu
quotidiano illustrat ITTER de feud. Imp. cap. 23. §. 5. &
pleniū demonstrat STRYK. de obl. feud. consens. mun. cap.
2. n. 9. seqq.

- (b) Ambae constitutiones libris feudorum insertae sunt. vid.
2. f. 52. & 2. f. 55.
- (c) ut expressè dicitur 2. f. 24. in fin.
- (d) Ex hac ratione , quae ab ipsis Imp. LOTHARIO & FRIDE-
RICO adsignatur, nolim destruas , quae §. anteced. adstru-
xi; sed, quae so, perpendas , quod feudo ipso non exuan-
tur vasalli, multo minus domino aliquid decedat per alie-
nationem fructuum ; quae aliter se haberent, si licita esset
feudi alienatio , hoc enim factio casu , & vasallo feloniam
committente , dominus non posset ad privationem feudi
agere, quia tertio, in quem alienatio feudi facta , Jus suum,
ut jam fingitur, validè quae situm ex facto vasalli , qui a-
lienavit, auferri non posset.
- (e) vid. THOMAS. diss. de caus. prohib. alienat. feud.

§. V.

Sub vocabulo alienationis hic non solum ipsius feudi
substantiae , sive in totum, sive pro parte, sed e-
tiam cuiuscunque Juris in re , id est, feudum ipsum ad-
ficientis , translationem in extraneum (a) sine licentia
domini factam intelligo , & quamvis me non lateat, quod
alienationis verbo , in sensu specialiori sumpto , veni-
at translatio dominii reliquias Juris in re speciebus con-
tradicandi; ex autoritate Imperatoris JUSTINIANI ta-
men (b) mihi licebit confidere regulam : qui non potest
alienare, neque reale Jus constituere alteri potest, nisi
contrarium ex Lege adpareat (c).

Hanc



Hanc regulam DDres in prohibitione poenali limitant, ubi illum, qui rem tantum oppignorat, vel usumfructum, aut aliam servitutem concedit, ad eam poenam non esse obligatum contendunt. Mea pace limitent & sublimitent. Dicta regula saltem etenim, quantum alienatio est nulla, semper manet salva.

Ex VINC. FUSARIO (d) plurimi praedictam regulam ad eum casum, ubi verba alienationem prohibentia sunt multum praegnantia, restringunt, sed quae verba sunt praegnantiora illis, queis Impp. LOTHARIO & FRIDERICO placuit serio & summa cum gravitate uti?
(e)

- (a) Quando enim in eum, qui ex persona adquirentis Ius succedendi quae situm habet, feudum transfertur, domini consensus necessariò haud requiritur, quia ejus consensus jam in investitura adquirentis adest. Alienatio tamen in agnatum remotiorem facta proximiori non nocet.
- (b) L. ult. C. de reb. alien, non alienand. ibi: „Sancimus, si „ve lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit „&c. Non solùm dominii alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam usus fructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum, penitus prohiberi, similique modo & servitutes minime imponi, nec emphyteuseos contractum, nisi in his tantummodo casibus, in quibus constitutionum authoritas „&c. aliquid tale fieri permisit. Hancce regulam quoque generalitas verborum constitutionis Fridericianæ suadet (§. antec.) & ne succendas, quod Ius civile in subsidium vocaverim, ad textum 2. f. 1. te ablego.
- (c) Hinc frustra obvertis, quod vasallus subinfeudare possit.
- (d) De substitut. quæst. 694.
- (e) Dignae omnino sunt constitutiones horum Impp., ut integras legas, rationemque palmariam severissimæ & gravissimis poenis munitæ prohibentis in fidelitate & reverentia domino debita, quam alienatio feudi laedit, mecum, ut spero, collocabis.

§.VI.

§. VI.

Non erravero igitur, si contendam, quod ne possit quidem vasallus veram servitutem temporariam feudo imponere, (a) praesertim cum is, qui Jus in re habet, delibare quicquam videatur de dominio. (b) quemadmodum enim Jus ad rem nascitur ex obligatione, qua certa persona ad factum quoddam praestandum adstringitur, & sic personam nobis obligatam haud egreditur: ita è contrà Jus in re exinde nascitur, quia res ad Tò nostrum jam pertinet, & sic contra quemlibet rei nostraræ possessorem actionem realem producit. Jam vero res ad Tò nostrum pertinet vel quoad ipsam substantiam, vel quoad certum usum. Si res quoad certum usum pro nostra haberi potest, servitutem habemus. Quoad substantiam autem res ad nos pertinet vel pure, vel sub conditione: si debitor non solverit. Hoc casu Jus pignoris habemus. Illo vero casu res vel singularis, vel universitas, sive dominium, vel hereditas est (c). Ob Textum 2. f. 8. (d) ad quem dissentientes provocant, (e) opinionem meam haud muto. Sin convincar, hunc textum de vera, propria & formaliter servitute loqui, tunc intrepidè adsero, illum, ut plures alios textus, in quibus vasallo sine consensu domini alienare licet, per constitutionem Fridericianam correctum esse. (f) Verum non puto, me unquam convinci; in dicto enim textu non dicitur, quod vasallus ipsi rei feudali servitutem recte imponat, sed si contingat, vasallum tale Jus, quod revera esset servitus, si recte & Jure constitueretur, in alterum transferre, id vasallo, h. e. soli personae vasalli obesse possit, minimè autem domino, quia tale Jus ipsam rem feudalem non adficit. quæstio igitur in textu non est de ipso feudo,

B

sed

sed tantum de persona, & quidem de tali Jure, quod servitutis quandam habet similitudinem, & abusiva (nam in libris feudorum tam adcurate proprietatis verborum ratio non habetur) servitus vocatur. Breviter persona vasalli est obligata ad patientiam servitutis ius abusivae, per quam patientiam personalem nullum Jus in re, h. e. nulla vera servitus alteri adquiritur. (g) Illustrationis & confirmationis gratia non piget, ex Jure civili casum adducere. Ponamus, maritum constituisse servitutem itineris in fundo dotali; nunc quaeritur, quale Jus vicinus, itinere utens, constante matrimonio, adquisiverit? Si dicis: Jus reale, sive veram servitutem itineris, contra claras leges loqueris, vi quarum marito haud licet ipsum fundum dotalem obligare, (h) aut ei servitutem imponere. (i) Jus igitur tantum personale, seu Jus quoddam servituti simile vicinus adquisivit.

(a) Non ob rationem illam Iuris civilis, quod servitus ad tempus constitui nequeat, L. 4. D. de servit. hoc enim in foro non attendi puto, cum parvi referat, an servitus jure constituta sit, an tuitione Praetoris interim servitute uti possim, L. 1. pr. D. quib. mod. ususfr. amitt. & pariter an servitus ad tempus constituta lapsu tempore expiret, an ope exceptionis ulterius servitute utens repellatur? vero ob defectum Iuris in persona constituents.

(b) BRUNNEM, in Cod. lib. 4. tit. 51, ad L. ult. eod. n. 1. in fin.

(c) Clariss. Dnus HELLFELD. Iurispr. forens. l. 1. tit. 8, §. 175. seqq.

(d) ibi: „quid ergo, si pretio, vel dolo, aut incuria servitutem rei beneficiariae imponi patiatur, & ad dominum sex qualibet causa postea beneficium revertatur? an ex eo praejudicium domino generetur? quasitum fuit. Et responsum est, ut vasallo quidem, donec feudum tenet, proposit obesse: domino autem &c. servitus minimè noceat.

(e)

(e) Quos inter notatu dignus est GEORG. GOTTL. SIEGEL. diss.
de vera Servit. à solo vasall, feud. imposta.

(f) Per verba : vel quocunque modo distrahere seu alienare.

(g) ANDR. FACHIN. controv. l. 7. cap. 79


(h) L. 4. D. de fund. dot.

(i) L. 5. D. eod.

§. VII.

NEc desero sententiam , si urges ; vasallo ab illis
tantum actibus esse abstinentem , qui in praeju-
dicitum domini tendunt: per temporariam autem
servitutem non praejudicari domino. Nam repono , ex
eadem ratione posse statui , quod vasallo liceret feu-
dum invito domino vendere , si cum emptore plenissi-
mam securitatem praefestaret , omnia & singula domini
Jura per hancce alienationem nullo modo laesum iri.

Non potest quidem vasallus feudum alienare , etsi do-
mini conditio melior fieret. (a) jam satis praejudicatur
domino , quod ei debitus non exhibeat honor , dum
vasallus libertatem praedii feudal is , cuius tamen liber-
rimam administrationem non habet , proprio ausu mi-
nuit : è contrà alterius , qui forte domini inimicus est ,
praedium auget ; qui autem rem ipsam minuit , eam u-
tique non meliorem , sed deteriorem reddit. Saltem
domino metuendum est , ne res semel servituti subiecta
per oblivionem vel incuriam possessorum ac successorum
ad posteros cum eodem onere transmittatur , vel super
ea re liberanda lites perniciosissimae exoriantur , sicut
de rebus majoratūs scribit Molina (b) Interesse contro-
versiae in eo cernitur , quod , quia obligatio persona-
lis personam haud egreditur , tertius , qui feudum me-
diante emptione , aut alio titulo singulari legitime ad-



quisivit, servitutem à solo vasallo venditore imposi-
tam ferre non teneatur, (c) id quod moribus supremae
Curiae feudalis Bambergensis admodum convenit. Hic
enim loci vasallus alienatus feudum resignare, sive in
manus Domini tradere debet, er muss das Lehren auffschreiben;
sed juxta ipsum textum 2. f. 8. feudo ad dominum ex
qualibet causa reverso, servitus à solo vasallo imposi-
ta evanescit; ne autem interseras, hancce rationem ef-
se magis subtilem, quam veram, cum feudum per ta-
lem resignationem non pure, sed sub modo ad dominum
redeat, ante omnia eō respiciendum est, an in literis re-
futatoriis, in dem Auffschreib-Brief, servitutis mentio
facta fuerit, & dominus refutationem feudi cum onere
servitutis acceptaverit, nec ne? priori casu emptor
fendi servitutem tolerare debet, quia feudo cum con-
fensi domini imposita est, non posteriori, nisi emptor
feudi propriam suam personam obligaverit, quo ulti-
mo casu tamen sola persona emptoris, non ipsum feu-
dum, obligatur, adeoque vera servitus non constitui-
tur; nam emptor tenetur accipere investituram à do-
mino, & de tali investitur feudo, de quali fuerat in-
vestitus vasallus vendor; atqui vendor fuerat in-
vestitus de feudo, ut supponitur, servitute libero; Er-
go.

(a) Coccej hypomn. Iur. feud. tit. 7. §. 1.

(b) de Hispan. primogenit. l. 1. cap. 20. n. 15. in fin.

(c) vid. L. fin. §. 1. D. de contrah. empt. BECK. de Iur. Em-
phyt. c. 9. §. 22. ubi duo praejudicia adducit.

§. IX.

Non possum vero satis mirari, quod multi DDres,
inter quos STRYKUM (a) nominasse sufficiat, pu-
tent,

tent, validam esse hypothecam, à solo vasallo in feudo constitutam, quoad vasallum ejusque descendentes, & quoad fructus feudi, quid quod SIGELIUS (b) hanc doctrinam cum pluribus aliis ad constitutionem pignoris extendat. Si illis opponantur constitutiones Imperatoriaie, à me suprà relatæ, (§. 4.) tunc eas de prohibita alienatione ipsius feudi substantiae, & de oppignoratione, quae in domini praejudicium tendit, expllicant. Haec sententia adhuc ulterius profiganda est, (c) ut eo facilitius ad scopum meum pertingere queam.

(a) de caut. contract. Sect. 2, cap. 4. §. 13.

(b) cit. diff. de vera servit. à solo vasall. feud. impos. §. 5.

(c) conf. quae suprà §. 4. & 5. adtuli.

§. IX.

Decantatum est, tam hypothecam, quam pignus est se Jus in re debitoris, Creditori in debiti securitatem constitutum, & inter alia (a) potissimum differre in eo, quod in hypotheca possesso rei obligatae penes debitorem maneat: è contrà in pignore possesso ad creditoris transeat. Ipsius Juris in re & securitatis ratio ex effectibus cognoscitur, qui in his tribus, in jure persequendi, retinendi & distrahendi consistunt. Quamvis itaque tam pignus, quam hypotheca in bonis aut dominio debitoris maneat, (b) & intuitu creditoris tantum ex bonis sit, (c) consequenter per pignoris & hypothecae constitutionem propriè dicta & plena alienatio haud fiat; adeam tamen via panditur; unde perpetuum ferè ab alienatione ad oppignorationem argumentum ducitur: quicunque alienare prohibetur, idem & oppignorare: quia, ut verbis JUSTINIANI utar, (d) sati absurdum est, & irrationalibile, rem, quam in suis bonis

bonis puré non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecae pignorisve nomine obligare. Porro ex securitate, quae pignoris & hypothecae finis est, quoque fluit, quod debitore in solvendo se praebente morosum creditor i competat facultas, rem oppignoratam vendendi, sibique ex pretio inde redacto solutionem procurandi, nam inutile proflus foret celebratum pignoris vel hypothecae negotium, nisi hanc alienandi produceret licentiam, unde sequitur, quod pignus distrahendi Juri ne pacto quidem expresso renuntiari possit, sed illud pro non adjecto habeatur, (e) idque non tantum propter creditoris Jus in re obligata quaesitum, & quia alias pignus vel hypotheca omnem omnino vim & efficaciam amitteret, sed etiam propter utilitatem publicam, ne alias admodum difficulter, qui nummos crederent, invenirentur, & indigentium inopia auxilio necessario egeret, magna commerce, quo salus publica alitur, deficiente fide, inferretur clades. (f)

Qui igitur vasallo facultatem feudum in suum praecjudicium oppignorandi concedunt, naturam & finem pignoris vel hypothecae non sufficienter perpendisse, praesertim vero ad casum, ubi vasallus debitor non solvit, haud respexisse, & potissimum ex eo, quod dominium rei oppignoratae in creditorem non transeat, decepti esse videntur.

- (a) vid. omnino BÖHMER, diss. de divers. pign. & hyp. Jur.
- (b) nec obstat, quod in pignore germanico ipsum dominium increditorem transferatur; etenim oppignorationes germanicae nihil aliud sunt, quam emptio cum pacto de retrovendendo. de NEUMANN, meditat. Jur Princip. privat. tom. 4. de reali Principum Jure lib. 3. tit. 3. §. 403. pag. 255.

(c) L. 2. §. 22. D. de vi honor. rapt.

(d) L. 3. §. 2. in fin. C. commun. de Legat.


(e)

- (e) Merlin, de pignor. & hypoth. lib. 5. qu. 95, n. 11. & 12,
Stryk. us. mod. lib. 20. tit. 5. §. 8.
(f) L. 4. D. de pignorat. act.

§. X.

SI cui rationes meae non satis stringentes videantur, illi placeat, Jus feudale antiquum & novum invicem conferre. Ab initio, dum feuda adhuc erant prout revocabilia, (a) vasalli nequidem somniarunt facultatem feudum quoconquemodo alienandi; ex quo autem feuda ad descendentes transmittebantur, & suo sensu facta fuere haereditaria, per consuetudinem seu potius abusum invaluit, ut Vasillus feudum usque ad dimidiam partem sine permissione domini oppignorare posset, ita tamen, ut per ejusmodi oppignorationem domino non praejudicaretur, & feudo NB. etiam per ejusdem refutationem aperto creditor, aut ille, qui feudum acceperit, nullo jure adversus dominum fetueri posset. (b) Sed haec obtinuerunt Jure Longobardico veteri. Cum autem Jure novo, scilicet ab Imp. Lothario & Friderico partis quoque alienatio & oppignoratio prohibita, (§. 4.) adeoque Jus vetus abrogatum, & eatenus res ad statum suum primordialem deducta fuerit, sua sponte se conficit argumentum sequens: quod olim vasallo licuit, circa oppignorationem, hoc hodie non licet; atqui olim licuit vasallo, feudum usque ad dimidiam partem NB. in suum, non domini, praejudicium oppignorare; Ergo. Sin vero hodie nec oppignoratio partis vasallo permissa est, multo minus is totum feudum oppignorare poterit.

- (a) Clariss. Dnus LORBER à STOERGEN Inst. Jur. Feud. §. 66.
(b) I. f. §.



§. XI.

Quaeſtioneſ , an vasallus feudum in p̄aejudicium ſuum ſine domini conſenſu oppignorare valeat ? non eſſe de nihilo, nemo non videt. Enim verò talis hypotheca , quae vox graeca in Jure feudal i (a) per pignus conſultum , id eſt, non traditum, ſed nuda conveſtione conſtitutum , exprimitur , (b) nulla eſt, ac proinde nullos effectus producit , & conſtitutio pignoris , in ſenſu ſtričto ſumpti, quod in Jure feudal i (c) pignus traſactum , id eſt, traditum (d) dicitur, inſuper feloniam in ſe continent, feuſique privatione puni- tur, quia per traditionem, quantum in ſe eſt, vasallus tranſerit Jus, quod habet, faciendo totum, quod po- teſt, ſcilicet tradendo. (e)

Accedit, quod alias quoque in p̄aejudicium vasal- li hypotheca tacita ſive legalis in feudis locum habe- ret, idquod tamen ipſi diſſentientes negant. (f)

Hocce argumentum metuens Sigelius (g) in- terferit, hypothecae tacitae ideo non eſſe locum in feudis, quia arctum ob vinculum , inter dominum & vasallum , ejusque jura intercedens, vasallus favore pro domino introducto tamdiu fruatur, quam diu iſtius renuntiatio non adparet; aſt non video, quomodo id, quod leges uni, aut certis quibusdam perfonis indulſe- runt, ad alios ſine lege & ſufficienti ratione extendi queat ; Et cur non potius ob arctum vinculum feu- dale favor domini, cui tamen jam ſecundum Jus commu- ne & naturale à vasallo iniqua conditio inferri nequit, etiam ad hypothecam expressam , ſive à vasallo per conveſtioneſ conſtitutam porrigatur ? quaeſo ! quis dicet, hypothecam tacitam infundo dotali ideo locum
ſibi

sibi haud vindicare, quia ob arctum matrimonii vinculum maritus favore uxoris tam diu fruitur, quam diu huic favori non renuntiatum est? Renuntiatio supponit Jus, cui renuntiatur; cum autem vasallo non competit Jus oppignorandi, frusta huic Juri renuntiat. Vera igitur ratio haec est, quod hypotheca feudalis absque domini consensu nulla sit, sed hypotheca tacita ex sola lege absque domini consensu constituitur, ergo nulla est tacita in feudo hypotheca. Caeteroquin largior, vasallum, quam diu ejus Jus durat, fructus feudi oppignorare posse; sed a fructibus feudi, cum jure allodii ceneantur, ad ipsam feudi substantiam non procedit argumentatio. Discrimen ut cognoscas, pone, à vasallo esse hodie Titio constitutam hypothecam, etiam judiciale in fructibus, cras vero constitui Mevio hypothecam cum conseniu domini in ipso feudo; non dubium est, quin Mevius, utut creditor posterior, praeterri debat, eo quod hic ob Jus in re sibi competens ad distractiōnem hypothecae agere possit, per quam illud Jus, quod antea in feudo habuit vasallus, extinguitur. Fac porro; debitorem vasallum, bonis allodialibus destitutum, solummodo feudum possidere, eum condemnatum esse à Judice ordinario ad debita solvenda, & moras neētere in judicato solvendo; sine dubio execu-
tio facienda infractus feudi, si vel maximē creditor si-
bide hypotheca in fructibus haud prospexerit, unde talis hypotheca non adeo singulares effectus habet.

(a) 2. f. 8. §. ult. in fin. ib. „nam nec pignus, quod con-
„sultum dicitur, fieri potest ex feudo.

(b) Struv. Synt. Jur. feud. cap. 13. aphor. 7. n. 1. & 2.

(c) 1. f. 5, pr. ibi. „si pro pignore plus medietate obligave-
„rit, ita ut transactum permittat, amissione feudi multa-
„tabitur.

C

(d)

- (d) Ex stylo medii aevi transactare idem est, ac possessio-
nem aut rem in alium transferre. Du fresne glossar. med.
& infim. latinit. voce transactare.
- (e) Ut eleganter ait ANDR. de Isernia de prohib. feud. alien.
per FRIDER. num. 20. conf. Rosenthal. de feud. cap. 9.
concl. 12. n. 3.
- (f) Stryk. us. mod. D. lib. 20. tit. 2. §. 21. seqq.
- (g) Cit. diff. de ver. serv. à vas. feud. impos. §. 4.

§. XII.

Solidis, ut puto, rationibus adversariorum senten-
tiam destruxi. Ad minimum oppignoratio feudi à
vafallo sine consensu domini facta creditorem non satis
securum reddit. Consensum in genere definio, quod
sit plurium in idem conspiratio, quae si fiat de jure ali-
quo transferendo, (a) pactum, aut si mavis, conven-
tio dicitur. Solus plurium in idem consensus pactum
necdum efficit. Exemplo sunt plures DDres in unam
eandemque sententiam, à qua tamen meliora edocti im-
pune, & citra notam violationis pacti recedunt, con-
spirantes.

- (a) Vid. FRANC. Jos. Herz. tract. de fide pacta publico pri-
vata cap. 2. §. 1.

§. XIII.

Juri correspondet obligatio; eo ipso enim, quod se-
mel Jus sive in re, sive ad rem, adquisiverim, alter
mihi obligatus est ad id, ne me in jure meo quo-
cunque modo turbet. Quid sit obligatio, omnibus no-
tum est, uti & omnes nōrunt, quod obligatio alia sit
principalis, alia accessoria, & alia subsidiaria. (a) Ad
con-

conventiones accessorias quoque pignus & hypotheca pertinet, cum debitum principale, cui securitatis gratia accedit, necessario praesupponat. Utrum vero quis principaliter, aut demum in subsidium se remue suam obligaverit, ex natura negotii, & ex mente pacientium dijudicari debet. In dubio is, qui ad alienam obligationem accedit, se tantum in subsidium obligasse censendus est; quis enim pro alio se obligans tam liberalis esse, & eō usque sua jaētare velle praeſumitur, ut statim, non excuso prius debitore principali, tela creditoris experiri velit? aliter si sentiamus, officiis amicitiae, quae tamen felicitatem civilem magnopere promovent, bellum indicimus, aut certe cives à mutuis obsequiis deterremus; unde in re dubia, ut ait Marcellus (b) benignorem interpretationem sequi, non minus justius est, quam tutius. Et quis nescit, interpretationem faciendam esse contra eum, qui clarius loqui debuisset? clarius autem loqui debuisset is, qui ex pacto singularem utilitatem, à jure communi recentem, vel aliquid, quod naturae contractū repugnat, aut non ineſt, adquirere cupit, (c) qualis profecto est creditor, qui praeter debitorem principalem adhuc alium aequè principaliter obligatum habere vult. Exemplum fideiūſſionis ob oculos habe, insimulque velim bene advertas, quod licet ex pacto is, cui aliquid promissum est, adquirat Jus perfectum agendi, & quidem personale, hoc tamen limitetur in caſu, ubi convenio expreſſe eo fine est inita, ut alteri, ea mediante, Jus reale constituatur, & negotium tale est, in quo Jus reale per traditionem constitui nequit, v. g. in hypotheca & servitutibus negativis. (d)

(a) Hanc cum obligatione accessoria, cave, ne confundas;
reclē enim dico: omnis fideiūſſor, ob ſalvum manens de-
bi-

bitum principale, accessorie est obligatus: non è contra: omnis fidejussor, v. g. qui beneficio ordinis renuntiavit, in subsidium obligatus est.

(b) L. 192, §. 1, D. de Reg. Jur.

(c) BÖHMER. de interpret. fac. contr. eum, qui clar. loqui deb. Leyser. ad D. Spec. 41. medit. 4.

(d) Hellfeld. Jurispr. for. lib. 2. tit. 14. §. 343.

§. XIV.

Consensus ab objecto, & à persona consentiente varias denominationes accipere potest. Consensum feudalem, quatenus circa oppignorationem feudi, de qua mihi impraesentiarum sermo est, versatur, definitio per paclum inter dominum & vasallum hujusque creditorem initum, mediante quo creditor ius in re feudali constituitur in securitatem ejus, quod vasallus debet. Agnatorum mentionem idcirco non feci, quia in feudo novo non minus, ac antiquo solus personarum in definitione memoratarum consensus ad hypothecae feudalis existentiam sufficit, quamquam non ignorem, agnatorum quoque consensu in feudo antiquo eum in finem opus esse, ut in illorum praejudicium hypotheca effectum sortiatur.

§. XV.

Consensus feudalis est pactum, (§. 12.) ex quo innumerae conclusiones fluunt, quas ut hic longa serie enarrarem, instituti non fert ratio. Ante omnia consensus domini, qui quasi vitam & spiritum pignori vel hypothecae feudali tribuit, requiritur, & adeo necessarius est,

est, ut, etiamsi agnati consenserint, oppignoratio tam
en, sine consensu domini facta, prorsus nulla sit, &
agnati, si feudum ad eos pervenerit, nequidem ex
fructibus debitum solvere teneantur, prout solidè de-
monstrat STRYKIU. (a) Intentio enim ac mens agna-
torum consentientium haec est, ut ipsum feudum hy-
pothecae vinculo, quod tamen sine consensu domini
subsistere non potest, adficiatur, non verò ut ipsum
debitum, seu vinculum personale in se fusciant. Quip-
pe consensus, ad unum effectum praestitus, non debet
alium operari. Etiam tertius, qui in oppignorationem
rerum suarum consentit, ex ipso debito conveniri ne-
quit, sed tantum actione reali. (b) Idquod licet du-
rum videri possit, jure tamen nititur, imputet enim sibi
creditor, quod non cautius mercatus fuerit, & de
consensu domini, cuius necessitatem scire debuit, sibi
non prospexerit; sed damnum, quod quis sua culpa
fentit, sentire non videtur. Nec dicas cum BÖHNERO,
(c) hypothecam consensu agnatorum munitam saltem
ad hoc valere, ut illi eam contra se teneantur agnos-
ce-re, citra praejudicium domini, non ut in ipsam feudi
substantiam constituta sit, sed in fructibus feudi; nam
agnati non futurum suum allodium, sive fructus feu-
di, sed ipsum feudum, ut supponitur, hypothecae vin-
culo voluerunt adficere, quod igitur voluerunt, non
potuerunt, & quod potuerunt, noluerunt. (Conf.
§. 8. 9. 10. & 11.) unde nec ex eo, quod vasallus feudi
possessor cum agnatis suis hypothecam in feudo consti-
tu erit, concludenter inferri potest, illos multò magis
in oppignorationem fructuum feudi consensisse. Quod-
si enim ita à planè diversis ad diversa arguenteris, &
interpretationem nimis extensivam fine fundamento
fuscenti admittas, vereor, ne creditor succumbat,

15^o 21 15^o 24

eo quod non clariū loquutus sit. Tua argumentandi ratio nimium probat, quia sequeretur, quod talis hypotheca etiam ad reliquum vasalli agnatorūmque alodium extendenda esset.

Et quid si solus vasallus cum consensu agnatorum pignus propriè sic dictum in ipso feudo constituisse, & possessionem creditori tradidisset, an audebis, hocce pignus in fraudem constitutionis FRIDERICIANAE de fructibus feudi explicare? tantae, ut spero, non eris audaciae, & tamen, quod miror, non dubitas, hypothecam in feudo cum hypotheca in fructibus feudi commiscere, ut per indirectum suo modo subsistat, quod apertè nullum est. Aliter autem utique res se habet, si agnati se simul ad solutionem debiti obligarint, aut qualitatem rei oppignoratae feudalem creditorem in bona fide existentem celaverint.

(a) De obligat, feud, consens, munit. c. 4. n. 72. seqq. ubi dubia resolvit.

(b) L. 26. §. 1. D. de pign. & hyp.

(c) De hypoth, scud, express, cap. 2. §. 16.

§. XVI.

Quemadmodum nemo ad paciscendum, ita nec dominus ad consentiendum cogi potest. (a) Interim verò regulis decori & aequitatis repugnare videtur, si dominus absque justa causa consensum deneget, Ita tamen, ut determinatio justae causae non subjaceat Iudicis alterius cujuscunque cognitioni, sed prudenti ipsiusmet & solius domini directi disquisitioni relinquatur, cum datio consensus, saltem quoad feuda masculina, regulariter in arbitrio domini posita sit. In Recessu,

cessu, welcher zwischen dem Kayserl. hohen Stift Bamberg ic. und einer löbl. Reichs - Frey - unmittelbaren Rittershaft in Franken Orts - Geburg den 6ten May 1700. errichtet worden, apud LUDEWIG (b) legitur: Nachdem auch 5tō wegen verweigert - oder difficultirter lehenherrlicher Consens, insonderheit zu Ausstattung der adelichen Töchter und Versorgung der Wittiben, einige Beschwerung geführt worden, wiesen Sich zwar Ihr Churfürstl. Gnaden so simpliciter hin zu dergleichen Consens - Ertheilung nicht verbunden; Sie wollen Sich aber doch darinnen, nach befindenden Umständen, und des ansuchenden Vasallens verhalten, insonderheit, wo kein oder weiges Allodial Vermögen vorhanden, in subsidium nicht difficil, sondern gegen Dero Hochstifts getreue Leheneure the also gnädig erweisen, daß selbige sich diesfalls weiter zu beschweren nicht Ursach haben sollen.

Quae verba an certo modo & sensu necessitatem impertiendi consensū involvant? dubium facit Ulpianus, ajens: ea solū promissa admittenda sunt, quae cuncte sic dicuntur, ut praestentur, non ut jaētentur. (c) Qui itaque sibi prospicere cupiunt, promissionibus spei incertae aut generalibus non contenti sunt, ne promittens excipere possit, quod voluerit, nil quicquam rigide abs se exigi, sed omnia humanitati suae relinqu. Sed quid dubia excito? Ipsissima dicti Receptus verba loquuntur, dominum non obligari praecisè ad dandum consensum, sed rem eatenus ipsius generositati & prudenti aequoque arbitrio relinqu.

(a) Struv. Synt. Jur. Feud. c. 13, th. 12. n. 6. in fin.

(b) In Script. Bamberg. pag. 1071. seqq.

(c) L. 19. §. 3. D. de aedil. edict. unde proverbium: Ehrenwörte binden nicht. De quo vid. Hert. lib. 1. paroem. Jur. Germ. §. 10.

§. XVII.

§. XVII.

Expressum domini consensum Jus feudale nullibi requirit. Hinc tacitum sufficere puto. (a) Contrariam opinionem haud curo, propterea quod quicunque expressè consentire potest, Ille etiam tacitè hoc facere valeat, item quod taciti & expressi eadem sit vis & efficacia. Huic regulae in ratione naturali fundatae, & jam dudum communis D. D. calculo probatae tamdiu insisto, donec probetur, quod leges aliter disposuerint. Textus I. f. 21. (b) neutiquam obstat. Etenim verba in Jure nostro, in primis feudali, non captanda sunt, & falsum est, quod jussus semper expressum requirat consensum. Noto notius est, quod secundum Juris Romani placita filius familias sine consensu patris nuptias contrahere nequeat, & quidem in tantum, ut jussus parentis praecedere debeat, (c) nihilo tamen minus consensus patris tacitus, imo & praesumptus, si scilicet pater non dissentiat, sufficit. (d) Ad hoc autem, ut dici queat, dominum tacitè consensisse, existimo, quod ex parte domini talia debeat concurrere facta positiva, ut tutò inde consensus elici possit, qualia puto esse facta, si dominus creditor de hypotheca à vasallo constituta ex animo gratulatus, aut ad instantiam creditoris vasallo moroso distractionem feudi ab eo oppignorati comminatus fuerit, aut emptorem feudi à vasallo, ejusvè creditore ex causa pignoris distracti investiverit &c. (e) Ratio, cur ex parte domini factum positivum requiram, non longè petenda est. Res enim ipsa loquitur, illum, qui consentit, aliquid facere, seu factum quoddam ponere, sive quod in idem recidit, animum suum vel per verba, vel per alia

alia signa & facta declarare. Deinde dominus in oppignorationem feudi consentiens per indirectum debitum vasalli in se fuscipere, eoque non solvendo existente, solvere, aut distractionem feudi pati debet; sed aliquem sine facto suo obligare velle, à ratione Juris abhorret, neque enim consensus domini ob ingens praejudicium, quod ei imminet, temerè presumendus est, cum Jura ad absolvendum proniora sint, quam ad condemnandum. Certè si consensus agnatorum juxta communem & veram DDrum opinionem non praesumi debeat, sed necessè sit, ut verbis vel facto declaraverint, se ut agnatos consensisse, (f) quare non idem in domino obtineat? Unde nec sola domini scientia, feudum à vasallo oppignoratum esse, (g) nec silentium ejus, etiamsi actui oppignorationis praesens, & impertitionem consensus sui rogatus fuerit, (h) consensum tacitum inducit, ob vulgatum illud brocardum, quod tacens non habeatur pro consentiente, quoties de ejus praejudicio agitur. Evidem vulgata quoque est regula, quod tacens consentire videatur, si praesens sit, & actum contradictione sua impedire possit; (i) ast haec regula, ad quam adversarii provocant, tum demum procedit, quando quis actum dissenſu suo impedire non solum potuit, sed etiam debuit, h. e. ad loquendum obligatus fuit, nam si tacens non necessum habuerit respondere, in suum commodum salvóque suo Jure tacuisse videtur, quia nemo censemur juri suo renuntiāsse. (k) Ex legibus civilibus, quarum multae pro & contra allegari possunt, parum Sola tii quoad substratam materiam haurire licet, ut ipse mihi dissentiens Andr. Fachineus (l) bene vidit. Ne igitur via inordinata progrediar, & anxius celem, quid in tanta legum civilium collisione, & cum Jus feu-


D

feudale nihil decidat, sentiam, regulam pono sequentem: nemo taceens in praejudicium suum consentire videtur. Hanc regulam in substrata materia feudali eo veriorem censeo, quo certius est, quod dominus consentiens vasallo gratiam faciat; quis autem evincet, dominum eo ipso, quod ad preces vasalli siluerit, revera gratiam fecisse, praesertim cum reverentiae ratio exigat, ut vasallus responcionem domini praestoleatur, & ante impetrationem consensus ab oppignoratione abstineat? Et cur non potius silentium domini pro dissensu habeatur, cum nemo sua jactare velle credatur, & non silere, sed plurimum loqui, aut factum aliquod ponere soleamus, quando alteri beneficium exhibemus? finge, Mevium supplicare, sive semel, sive centies pro gratia quadam apud Principem, hunc verò suppliciam sine ulla responione seponere. Sanè quilibet cum ipso supplicante Mevio ex usu & more communni denegatam potius, quam concessam gratiam judicabit. Jam fiat applicatio ab uno exemplo gratiae ad aliud.

Praedictam regulam sic limito: nisi imò tacens necessum habuerit respondere, aut 2dò leges consensum fingant, qui consensus fītus, eoque etiam ignorantēs, & eos, qui planè non consentire possunt, saepè obliget, cum tacito, utpote vero consensu, minime confundi debet. Ast ubi illa lex, quae domino necessitatem respondendi imponat, aut dominum tacentem in praejudicium suum consensisse fingat? 3tiò nisi ex parte silentis factum positivum concurrat, ex quo, ut jam dixi suprà, consensus erui possit. An enim quis per verba, an per nutum, aut alia facta, quae tamen in rebus magni momenti concludentia esse oportet, animū suum declareret? nihil interest, cum alias muti consen-

sentire non possent. Atò nisi actus, qui geritur, intacentis commodum tendat, ita ut ex circumstantiis non possit non judicari, alterum non dissentire, v. g. si vasillus pro domino, qui à lias à creditore suo valde inquietatus fuisset, non contradicente fidejussicerit, & feudum oppignorarit. Atque hoc modo leges civiles conciliari posse autumo. Caeterum ad dissentientis Fachei, qui ex legibus civilibus, à se adductis, quaestione, an dominus tacens pro consentiente habeatur, nec ne? se solvere non posse fatetur, rationes, ne fcilicet contrahentes, qui in bona fide sunt, & praesente domino contractum celebrant, astuto quodam domini silentio decipientur, nec non quod simplicitas legibus amica, nimia autem subtilitas odiosa sit, adhuc breviter sic respondeo: Contrahentes domino praesente & silente sunt vasillus, & ejus creditor. De vasallo, quia gradus honoris domino exhibendi non observat, nec declarationem domini reverenter exspectat, bona, aut saltem prudens fides aequè parum, ac de creditore, nexus feudalis conscio, praedicari potest. Sin autem supponatur, creditorem rei sibi à vasallo oppignoratae qualitatem ignorare, tunc ejus bona fides domino praejudicare nequit. Quodsi iterum ex parte domini dolus, qui tamen non praesumitur, & ex nudo ejus silentio nunquam erui potest, supponatur, tunc dominus non ex silentio, sed ex dolo, adeoque ex facto suo illico tenetur.

An denique sententia mea, per quam à domino damnum, quod citra factum suum incurreret, avertitur, conscientiaeque vasalli, qui domino fidelitatem & reverentiam juratò promisit, optimè consulitur, an verò sententia contraria simplicitati naturali magis conueniat, & quae sententia iusto subtilior sit? quilit
D 2 be-



bet aequus arbiter judicet, iusimulque philosophetur,
an paria sint, silere, & consentire, item actum impe-
dire posse, & impedire debere?

- (a) Mscov. de Jur. Feud. c. 12. §. 19.
- (b) Ibi: si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine
voluntate vel jussu domini.
- (c) Pr. Inst. de Nupt.
- (d) L. 5. C. de nupt. L. 7. §. 1. D. de sponsal.
- (e) An dominus contractum, in cuius securitatem hypothe-
ca feudalis constituta est, confirmans pro consentiente
habeatur? de eo vid. STRYK. de caut. contract. sect. 2.
c. 4. §. 3. & 4. item in diss. de obl. feud. Cons. mun. c. 3.
n. 42. seqq.
- (f) HARTM. Pistor. lib. 2. qu. 7. n. 1. ROSENTHAL. de feud.
c. 9. concl. 77. & 78.
- (g) Incongruum enim esset, ex sola scientia & patientia in
suum detrimentum consentire alterum, L. 8. §. 15. D.
quib. mod. pign. solv.
- (h) Id quod procul dubio propter reverentiam, quam domi-
no vasallus debet, contra alios requirere videtur mihi
dissentiens clariss. Dnus LORBER Inst. Jur. Feud. §. 309.
- (i) Vid. Hert. lib. 1. Paroem. Jur. Germ. par. 7. keine Ant-
wort ist auch eine Antwort §. 2.
- (k) Hopp. ad §. 8. Inst. quib. mod. Jus patr. pot. solv.
- (l) Controv. Jur. lib. 7. cap. 80.

§. XVIII.

UTrum consensus domini praecedat, an subsequatur?
perinde est, quia pro forma actus non requiritur.
(a) Non potest tamen subiequens ratihabitio domini
in praejudicium prioris creditoris retrahi, cum etiam
inter

inter creditores consensuales habeat locum regula: qui prior tempore, potior jure. Quoniam autem consensus domini ultra terminos expressos non est extendendus, sed strictissimè interpretandus, (b) vasallus hujusque creditor admodum sibi caveant, ne dominum vel minimam circumstantiam, quam scire ejus interest, celent. Pone enim, mortuum esse vasallum sine haeredibus masculis, & postea dominum ad instantiam creditoris in hypothecam à vasallo defuncto constitutam simpliciter consensisse, certè domino, de casu mortui vasalli & feudi aperti nihil cogitanti, hicce consensus superveniens haud nocebit. Pone iterum, quod vasallus feudum oppignoraverit tradideritque, consequenter feloniam commiserit, & si dominus ignoraverit, traditionem esse factam, ejus consensus superveniens contractum praecedentem nec confirmabit, nec feloniam remittet. (c)

(a) BRUNNEM. Conf. 75. n. 21. 22. & 23.

(b) Dnus LORBER. Inst. Jur. Feud. §. 304.

(c) SCHRADER. de feud. part. 8. cap. 4. n. 5.

§. XIX.

Haec dum scribo, & ratihabitionem domini, sive ejus subsequentem in oppignorationem consensum sufficientem arbitror, vir ac dominus quidam illustris aliquam litem in Augustissimo Consilio Imp. Aul. adhuc pendentem, attamen sine denominatione partium litigantium & Curiae feudalnis, ad quam feudum spectat, mihi enarrat, & ex me querit, an post contractum, d. ipso feudo contra prohibitionem legum celebratum, vasallo re adhuc integra, & prius quam dominus ra-

D 3

ti

ti habeat, invito creditore liceat poenitere, ita ut hanc poenitentiam consensus domini ad creditoris processus superveniens impedire, sive contractum validare haud possit? Respondebam ego, quod ante me jam respondit STRYKUS, (a) distinguens inter contractum sub conditione: Si dominus consenserit, & pure celebratum, hoc, non illo, casu poenitentiam locum habere putans. Rationem differentiae do hanc, quod in casu priori vasallus non contemnat dominum, (b) & pendente conditione aliquid subsit, quod conventionem sustentat, nimirum obligatio valida ad expetandum domini consensum, quod secus est in casu posteriori, cum in potestate vasalli non fuerit, hypothecam simpliciter, & nullo respectu ad domini consensum habito, constituere. Quamvis enim hypotheca, positis terminis habilibus, per ratihabitionem domini convalidari queat, (§. antec.) ista tamen ratihabito post poenitentiam vasalli, adeoque re non amplius integrum superveniens, nihil invenit, ubi pedem figat, unde talis contractus pure celebratus spectari debet tanquam non ens, cuius nullae sunt affectiones.

(a) De obl. feud. conf. mun. c. 3. n. 55.


(b) De LYNCKER. resp. 20. n. 7.

§. XX.

SEntentiae meae graviter obstat videtur immo communis regula, neminem contra proprium factum venire posse. 2dò quod exceptio deficientis ex parte domini consensus ad exceptiones de jure tertii spectet, ac denique 3tio fraudibus non favendum sit. Magnam, fateor, haecce argumenta veritatis speciem praefefunt.

runt. Sed salva stat opinio mea, si paulo altius ex-pendatur, quod, sicut ad Inum feuda jam inde à pri-mis suis incunabulis utilitatem publicam pro fine ha-bent, ita & eorum alienatio non ob solum domini fa-vorem, verum etiam ob utilitatem publicam prohibi-ta sit. (a) Quando autem alienatio consideratione bo-ni publici nulla est, alienatori proprium factum im-pugnare licet, (b) nam publica utilitas, & praejudi-cium alterius facit, ut quis facto suo contravenire, & propria turpitudinem allegare possit. (c) Nec ad-iensum meretur KNIPSCHILD, (d) ex eoque STRYKIUS, (e) putantes, dicta eatenus procedere, quando nullus aliis est, qui alienationem nulliter factam revocare valeat, secus vero, quando alienatio etiam aliorum favore prohibita, & alii superfunt, qui eandem revo-care possunt. Haec enim interpretatio cavillatoria vi-detur. (f) Ad 2dum responsio ex ante dictis patet. Deinde regula, quod exceptio de jure tertii non proficiat, fallit, si alterius consensus de substantia actus requiritur. Etsi enim centies consenserit vasallus, nunquam tamen hypothecam constituit, quia in jure paria sunt, non consentire, & non legitimo modo con-sentire. Talis igitur consensus vitio nullitatis laborat, adeoque à vasallo ante adprobationem domini revoca-ri potest. Accedit, quod is, cuius interest, excep-tionem ex Jure tertii habeat. (g) Vasalli autem inter-esse in eo cernitur, quod se exponeret privationis pe-riculo, si feudum ex praevio contraactu traderet, aut feudum fortè jam traditum non statim revocaret. (h) Ad 3tum non favetur, sed potius via praecluditur fraudibus, cum jura domini tutiori collocentur loco. Me autem non de eo, qui ignarus & bona fide, sed qui sciens & mala fide cum vasallo pure contraxit, lo-qui, vix est, ut moneam.

(a)



- (a) 2. f. 55.
- (b) L. 7. C. de agricol. & censit.
- (c) SCHRADER. de feud. part. 10. Sect. 20. n. 200. & 201.
KLOCK. vol. 1. cons. 2. n. 56. & 57.
- (d) Tract. de fideicomm. famil. nobil. cap. 13. n. 28.
- (e) De success. ab int. diff. 7. cap. 4. §. 19.
- (f) Vid. L. 14. §. 1. C. de SS. Eccl. ubi oeconomus, non obstante, quod alii, scilicet Clerici, supersint, res Ecclesiae à se nulliter alienatas vindicare potest. Sic etiam ex L. 42. D. de usurp. & L. penult. D. de fund. dotal. cum plurimis contendit LAUTERBACH. diff. de fund. dot. §. 27. & 29., quod ipse maritus praedium dotale à se alienatum revocare queat.
- (g) Mev. part. 5. dec. 33. num. 7.
- (h) Hoc contra illos dissentientes adduco, qui cum Struv. Synt. Jur. feud. c. 13. aph. 12. n. 2. vasallum statim poenitentem à poena privationis immunitum pronuntiant, quam tamen sententiam non facio meam,

§. XXI.

NUM & quatenus Praelatus citra consensum Capituli in hypothecam feudalem consentire valeat? elegans est quaestio, cum potestate reinfeudandi magnam connexionem habens, quam jam nunc intactam relinquo, alio tempore plura dicturus. Hic tantum adnoto, Justum Veracium (a) generali sua loquela hallucinatum fuisse; convincit me praxis propria, ab eo tempore, quo Secretarius Curiae feudalis Bambergensis eram, hausta; ea enim me docuit, consensus temporales perfici sola domini & vasalli voluntate, ubi autem de verè perpetuis agitur, (§. 40.) alia obtinere.

- (a) In libell. consuetud. Principat. Bamb. tit. de feud. qu. 3. p. m. 9. ibi nostri mores praeter domini & vasalli etiam summi Capituli consensum exigunt.

§. XXII.

ꝝ. XXII.

Satis de consensu domini. Ad debitorem vasallum hujusque creditorem nunc ordo dicit. Quod creditor, de cuius securitate unicè agitur, oppignorationem acceptare, debeat, res ipsa loquitur. De vasalli igitur consensu adhuc dispiciendum est.

ꝝ. XXIII.

VAsalli quoque consensum necessarium esse, definitio consensū feudalī indicat. (§. 14.) quod cum sciam, à non nullis viris magni nominis negari, ita demonstro: Notissimum & in ipsa ratione naturali fundatum est axioma juris: id, quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest (a) sed id est vasalli, quod ipsi à domino sub lege fidelitatis concessum est; (§. 1. 2. & 3.) Ergo id, vel Jus in eo, quod est vasalli, sine hujus facto, seu consensu, in alium transferri non potest. (§. 6.) dependet enim hypotheca ex conventione partium, quo usque igitur debitor sua bona non obligat, eousque obligationem in illis creditor impetrare non valet. (b) Et cum pariter certissimi Juris sit, non statim habere mandatum obligandi bona, si quis habeat mandatum accipiendo mutuum quia aliud est, mutuum accipere, & aliud pignus constitueret; (c) non potest non sequi, quod creditor invito vasallo debitore consensum domini in oppignorationem feudi impetrare nequeat. (d) Unde nequidem creditor absque debitoris consensu commutationem pignoris allodialis privati in publicum à Principe vel Magistratu validè impetrat (e) Imò licet vasillus

E

omnis

omnia sua bona pignori obligaverit, non tamen dominus solus ad instantiam creditoris pignus feudale constituerre potest, eo quod vasallus oppignorans ea tantum bona censeatur intellexisse, quae liberae ejus dispositioni subiecta sunt. (f)

- (a) Sunt verba legis 11. D. de Reg. Jur.
- (b) Carpzov. p. 2. c. 23. Def. 23.
- (c) L. 5. D. quod iussu.
- (d) Brunnenm. ad L. 6. C. quod cum eo, qui in alien, pot. num. 2. & 3.
- (e) Mev. part. 7. Decis. 232.
- (f) 2. f. 26. ibi: in generali alienatione vasalli non continetur feudum, nisi nominatum dictum sit.

§. XXIV.

DEmonstrata necessitate consensū vasalli, frustra, nō fallor, disputatur, (a) an consensus domini à vasallo debitore impetrari debeat, ita ut à creditore solo impetratus non subsistat? meo judicio omnia hūc redeunt. Nimirum vasallus vel jam antecedenter consensit, vel non. Sin prius, & vasallus conditionatè, mit Vorbehalt lehenherrlicher Einwilligung, aut etiam pure consenserit, sed tamen eum, re adhuc integra, non poenituerit, (§. 19. & 20.) tunc à domini voluntate pendet, utrum consensum suum ad instantiam vasalli, an verò etiam petente solo creditore impetriri velit; parum enim refert, an consensus domini praecedat, an subsequatur, cum actus favore tertii nullus ejus ratificatione convalescat. (§. 18.) nec obstat, quod

quod in §. antec. ipsem dixerim, non posse magistratum ad nudam petitionem creditoris pignus privatum commutare in publicum. Nam supposui ibi dissensum debitoris, hic autem consensum vasalli suppono. Si posteriorius: tunc hypotheca, à solo domino constituta vasallo non praejudicat, sed tamen intuitu domini valet. Nam si debitori integrum sit, rem alienam sub conditione, si sua facta fuerit, pignoris nexui subjiceret, (b) nihil impediet, quod minus dominus in hypothecam consentiat eum in eventum, si feudum ad eum reversum fuerit.

(a) Ut cum plurimis aliis factum est à STRYK de obl. feud. conf. mun. c. 3. n. 56, seqq. MULLER. in pract. rer. for. Resolut. 81, n. 23. BÖHMER. de hyp. feud. express. c. I. §. 12, seqq.

(b) L. 16. §. 7. D. de pign. & hyp. ibi. aliena res utiliter potest obligari sub conditione, si debitoris facta fuerit.

§. XXV.


Intelligenda autem sunt, quae de consensu vasallidi-
xi, de pignore voluntario, non de necessario judicia-
li, quod judicati exequendi causa in bonis debitoris,
etiam citra ejus voluntatem, constituitur. (a) Hinc
ad ejusmodi pignus judiciale solus domini consensus
sufficit, ita ut executio in ipsam feudi substantiam con-
tra vasallum debitorem, rei judicatae haud parentem,
servato tamen ordine à legibus praescripto, peragi
queat, (b) impedimentum enim, alias executioni in
ipsum feudum obstans, per consensum domini remo-
vetur.

(a) L. 15. D. de Re judic.

(b) Slevogt, de execut. in bon. feudal, cap. 2. §. 8.

E 2

§. XXVI.



§. XXVI.

Agnatorum consensus in feudo etiam antiquo ad es-
tentiam hypothecae , absolute loquendo , non re-
quiritur . (§. 14.) Potest enim vasallus feudum aliena-
re cum consensu domini , etiam invitis & repugnantibus
agnatis . (a) Et quamvis agnati ex naturali illo
principio , quod alii per alium iniqua conditio inferri
nequeat , ejusmodi hypothecam consensu suo haud
munitam , feudo ad se devoluto , minimè teneantur
agnoscere , hypotheca tamen à domino & defuncto
vasallo debitore constituta , caeteris paribus , firma
manet , & ut ita loquar , tam diu dormit , donec feu-
dum ad dominum redierit . Quodsi autem agnati quo-
que consenserint , tunc eodem modo , quo contra do-
minum , etiam adversùs eos habebit hypotheca effectum .

(a) 2. f. 26. c. Titius filios.

§. XXVII.

IN tantum igitur , ut hypotheca etiam agnatis noce-
at , horum consensus adhibendus est , quod quoque
in Principatu Bambergensi saltem hodie obtinet , &
contra Justum Veracium , (a) de contraria consuetu-
dine attestantem , notare juvat . Plurima in hocce sae-
culo prostant exempla , ubi pro domini consensu sup-
plicanti vasallo improli , aut prolem quidem , sed non
numerosam , aut nimis teneram habenti suprema Curia
feudalis rescripsit , quod ei ante omnia de consensu
agnatorum sufficienter docendum esset . Memorata
consuetudo , quam etiam clariss. Dnus LORBER à STÖR-
CHEN allegat , (b) ex illa consuetudine , vigore cuius
olim

olim in feudo Bambergensi non nisi à filiis , & coinvenit
stis succedipotuit , adeo ut v.g. uno ex duobus fra-
tribus , cui feudum ex divisione bonorum paternorum
obtigit , improli mortuo , feudum non ad superstitem
fratrem , nisi huic successio specialiter fuisse reservata ,
devolutum , sed ad dominum reversum fuerit , (c)
ortum suum duxisse videtur , reservatam fratri succe-
sionem ita interpretando , ne per eandem domino &
vasallo possessori ratione dispositionis de feudo obex
poneretur . Sed & haec consuetudo in desuetudinem
abiit , & quoad feuda nobilia per recessum specialem
anno 1700. initum abrogata est , sicque principiis Juris
feudalis communis hodie insistitur .

- (a) In libell. consuetud. Principat. Bamb. qu. 3. pag. 9.
- (b) In Instit. Jur. Feud. §. 315. optandum esset , ut celeberr.
Dnus Author hocce suum opus , varia eruditione refer-
tum , commentario illustraret.
- (c) Vid. L. B. de SENCKENBERG , in scripto , cui titulus : Ric-
ciardi de antiquis epistola , qua HERM. CONR. sinceri sen-
tentia de usu Jur. Feud. in Germaniae terris exponitur &
trutinatur ; à §. 45. usque §. 64. ubi contenditur , simula-
taneam investituram in universa Germania viguisse .

§. XXVIII.

Liberos vasalli quod concernit , horum consensum in
oppignorationem feudi etiam antiqui Jus feudale
minime desiderat , quia feudum ab allodio paterno se-
parare nequeunt , adeoque factum patris praestare de-
bent . (a) Nec est , quod Juris feudalis dispositionem
miremur , imò cum nonnullis , nescio , cuius stupidita-
tis nimis indecenter arguamus . Quamvis enim forte

E 3

ex

ex genuina Juris ratione (b) & propria feudi natura,
si à legibus feudalibus abstrahas, dicendum esset, nec
filium in eo factum patris praestare tenciri, cum feu-
dum non sit pars haereditatis defuncti, sed illud filio
aequè ac agnato ex beneficio majorum, non patris,
debeatur; nihil tamen oblitat, quo minus haec ratio &
feudi indeoles per diuturnos mores, rerumque judica-
tarum exempla, ex quibus maximam partem Jus feu-
dale enatum est, aliqua sui parte quoad personas filio-
rum immutari & introduci potuerit, ut, quemadmo-
dum feudum ad haereditatem primi adquirentis, v. g.
avi, tanquam stipitis communis universalis pertinet,
ac proinde omnes, quotquot ab illo sanguinem deri-
vant, ejus facta praestare debent, ita etiam habita con-
sideratione, quod praeter communem stipitem univer-
salem plures in ejus progenie stipites communes, &
sic plures lineae, quae sibi invicem sunt collaterales,
dari possint, cuiuslibet lineae specialis stipes commu-
nis v. g. pater intuitu suorum descendantium, puta filii,
non autem respectu collateralium sive agnatorum suo-
rum, v. g. fratri reputandus esset, ac si feudum primus
adquisivisset, praesertim cum rei hujus causae satis gra-
ves suppetant. Quis enim, amabo! vasallus, etiam si
sexcentas literas consensuales, à domino omniibusque
suis agnatis subscriptas & sigillatas produceret, inven-
turus esset creditorem, si à filio factum patris impugna-
ri posset? quis, quaeso! in casu, ubi patrem necessitas
& periculum in mora premit, filios absentes ad con-
sentendum vocabit? quo delaberetur reverentia patri
debita, si filius deberet rogari à patre, & rogatus con-
sensum denegaret? quid si filii adhuc essent minores,
an tunc constituendus erit tutor, non solum vasallo
patri,

patri, sed etiam domino directo legem praescribens? quid si tutor, & cum constituens Judex civilis consentiret, filius vero major factus se laesum diceret, & restitutionem in integrum peteret? Et quid si patri, tempore impetrati consensus, non esset, ex post vero nasceretur filius? superi! quot ambages, lites quantae nasciturae essent? vereor, ne sententia contraria in ipsam filiorum, imo & rei publicae, cuius refert, non labefactari fidem, non impleri litibus, nec non honorari parentes a liberis, perniciem redundet. Deinde etiam dominorum directorum, ex quorum tamen gratia, saltem origine tenus loquendo, feuda ad primi vasalli descendentes transmissibilia facta sunt, (c) magnopere interfuit, & adhuc interest, autoritatem suam publicam, aliisque jura sarta tecta servari, id quod haud fieri posset, si liceret filio, pignus in feudo a patre cum consensu domini constitutum impugnare. Sané hoc casu creditores non amplius quid tribuerent autoritati publicae domini: dominus autem loco gratitudinis, quam a vasallo ejusque descendantibus pro gratia ipsis facta merito poscit, saepè aes alienum, feudo ad se reverso, solvere deberet, nec feudum sibi a vasallo, insciis hujus filii, forte refutatum, aut alio justo modo consolidatum post mortem vasalli retinere posset. Ex hisce aliisque, quas brevitatis amore praetereo, rationibus dispositionem Juris feudalnis non modò creditibus & reipublicae maximè utilem, sed & domini, primique feudi acquirentis intentioni consentaneam autumo, & concludo, feudum, prout jure feudali formatum est, intuitu liberorum eatenus, quatenus ad praestanda parentum facta obligati sunt, esse haereditarium, seu potius aliquid admixti habere ex Jure haeredi-

reditario, sed respectu agnatorum esse ex pacto & providentia majorum, ut vocant, (d) unde & liberi in feudis succedentes plures haeredum patris appellatio-ne, ad differentiam agnatorum, disertè insigniuntur. (e) Cujus diuersitatis rationem elegantissimam suppeditat Cujacius, (f) ajens, quod agnati in feudo non succedant ultimo possessori, sed primo adquirenti, & quidem ex ejus pacto & providentia, adeoque aequè, ac in fidei commisso, singulari jure feudum consequan-tur. Filius autem, pergit laudatus author, succedit patri non tantum in genearchico feudo, sed etiam in novo, & genearchicum. puta, quod descendit ab avo, etiam capere videtur à patre suo, non ab avo, cum in ejus successione NB. patruo suo paeferatur, qui tam-en erat proximior avo. (Adeoque si avo, seu pri-mo adquirenti ex ejus pacto & providentia succedere voluisset, excludi à patruo, utpote avo proximiori, debuisset.) Hac de causa non aliter admittitur in feu-dum avitum¹, quam quasi haeres patris, & ita separa-re bona non potest.

(a) 2. f. 45. ibi: „ubi verò filium reliquit, ipse non potest „haereditatem sine beneficio repudiare, sed aut utrum- „que retineat, aut utrumque repudiet.

2. f. 51. §. 4. ibi: „filius non potest recusare haereditatem „patris absque feudo; propinquus autem potest.

(b) Vid. L. 67, D. de legat. 2. & in L. 3. D. de interd. & re-legat. generaliter statuitur, quae liberis non à patre, sed à genere, à civitate &c. tribuuntur, facto patris eis non auferri, addita ratione: non enim haec patrem, sed ma-jores ejus eis dedisse.

(c) Burc. Gotth. Struv. Elem. Jur. feud. cap. 9. §. 206.

(d) Coccej. diff. de feud. haereditar. mixt.

(e)

(e) I. f. 8. §. 1. hoc quoque, I. f. 13. §. et si clientulus, 2;
f. 9. §. si verd. &c.

(f) Ad 2. f. 45. vel iuxta ejus distributionem ad M. f. 54.

§. XXIX.

PRAEDICTA saluberrima, utpote aequitati & pietati consona, fideique commerciorum egregie inserviens dispositio Juris feudalis Longobardici quin & in germania locum sibi vendicet, nullus dubito. Hocce enim Jus authoritatem Juris communis (an expressè, an tacitè? nihil interest.) Apud nos obtinuit, ut ipse Jo. ADAM, KOPPIUS, Jus feudale Longobard. alias parvi faciens (a) fateri debet in sua historia Juris. (b) Et licet non nisi in subsidium receptum sit, salvis Juribus patriis, ille tamen, qui allegat Jus feud. Longob., habet intentionem fundatam, donec alter vel non usum (scilicet quod in hac provincia planè non, aut saltem in materia substrata non sit receptum) vel contrariam obseruantiam (scilicet quod leges germanicae, sive scriptae, sive non scriptae, causam incidentes adsint, vel quod Jus Longob. statui reipubl. German. repugnet &c.) legitimè doceat, prout praeter alios viros doctissimos, rerumque germanicarum peritissimos probatum dedit Frid. Car. Buri. (c) Sanè si patre, ob delictum feudi jure possessione multato, insimul etiam filius, licet integer vitae scelerisque purus, à feudali successione arceatur, atque haec poena à Jure feudali Longob. statuta (d) adhuc hodie, saltem ubi feloniam in ipsum dominum commissa, vigeat, & ab ipsis Imperii legibus confirmata sit, (e) quid quod illam etiam in feudis Imperii majoribus obtinere, cum plurimis aliis adserant, variisque exemplis comprobent

F

Jo.

JO. JAC. MOSER (f) & JO. FRID. WILH. de NEUMANN. (g)
non video, nullusque capere possum, cur factum pa-
tris licitum, quale est oppignoratio feudi consensu do-
mini munita, filio non debeat praejudicare.

- (a) In dem Vorbericht seiner ausserlesenen Proben des teut-
schen Lehens-Rechts 1. und 2. Th.
- (b) Part. 3. Epoch. 5. Thes. 4. 5. 6. & 7. item d. p. Epoch.
7. Thes. 4. & 5.
- (c) In seiner ausführlichen Erläuterung des in Deutschland
üblichen Lehens-Rechts cap. 1. pag. 131. seqq.
- (d) 2. f. 26. cap. si vasallus. & 2. f. 31.
- (e) Land-Fried de Anno 1548. tit. 3. §. 2. ibi: Wo aber der
Fried-Bruch wider den Lehenherrn geschehen wär, so soll
verhalben, was hierin NB. das Lehens-Recht vermag, und
gebrauchlich ist, gehalten werden. Ord. Cam. de an. 1555.
part. 2. tit. 9. §. 2.
- (f) In der Einleit. Zu dem R. H. R. Process part. 3. cap.
3. S. 70. seqq.
- (g) Meditar. Jur. Princip. priv. tom. 5. de hæred. & suc-
cess. Princip. Sect. 2. tit. 15. §. 353. seqq.

§. XXX.

Dissentientes praestantissimi DDres, cum primis
praesentis saeculi, quippe institutorum germaniae
veterum magis curiosi provocant imo ad antiquum il-
lud discrimen inter bona avita, Stamm-Güter, &
bona noviter adquisita. Sicuti autem haec semper re-
licta fuerint arbitrio adquirentis, ita illa, utpote fa-
miliae jam quae sita, à possessore nullo modo, nisi ac-
cedente liberorum haeredumve consensu, onerari po-
tuisse dicunt. (a) zdb ad diplomata praesertim mediæ
aevi, atque emptionis venditionis, permutationis,
alio-

aliorūmque feudalium contractuum instrumenta, in quibus mentio consensus filiorum occurrit. (b) 3tō ad praeten̄os illos duos fontes consuetudinum feudalium germanicarum, videlicet Jus feudale Saxonum, (c) & Jus feudale Alemannicum (d) 4tō ad communem JCtorum opinionem. 5tō Ad consuetudinem Equestrim Franconiae, vi cuius immediati nobiles adversus creditorum paternorum importunas querelas, und wann das Meßer an der Kehl stehet, (e) constanter negant, se teneri ad expungendum debita, sine consensu suo à patre contraacta. 6tō Ad praxin Germaniae, (f) & sigillatim August. Camerae Imperialis. (g) 7mō Interterunt, feuda ideo, quia vasallus de eis disponere nequit, sed ea familiae à primo vasallo descendenti restituere debet, cum fidei commissis familiae, in quibus haeres factum defuncti praestare non tenetur, (h) pari passu ambulare. Denique & 8vō dispositionem Juris Feudal. Longob. etiam ideo non attendendam putant, quia ob exceptionem, quam ipse textus 2. f. 45. facit, (i) facillime eludi posset.

(a) Schilter, ad Jus Feud. Alem. cap. 64. §. 5. 6. & 7.
STRYK in us. mod. D. tit. de haered. Instit. §. 5. Ludovici diff. de divers. Jur. Bonor. adquisit. & haereditar.

(b) LUDEWIG de obligat. success. in Principat. & Clientel. cap. 6. & opusc. tom. 1. pag. 599. de GUDENUS Cod. diplom. part. 1. pag. 498.

(c) Cap. 55. ibi: der Mann ist auch nicht pflichtig, seines Herrn Gelübde jemand zu leisten, noch auch ein Sohn seines Vaters, daß er sein Gut auslaufen solle.

(d) Cap. 98. ibi: der Mann ist nicht schuldig zu leisten des Herrn Gelübde, noch das Kind des Vaters.

(e) Sic loquitur Ertel. in Observ. Jurid. Equestr. Obs. 37.

(f) BÖHMER, tom. 1. part. 2. consult. 87.

- (g) ROSENTHAL. de feud. cap. 7. concl. 20. n. 5. MYNSINGER. centur. 3. obs. 67. GAIL. lib. 2. obs. 128. & 154. de LUDOLF. de Jur. Primogen. part. special. §. 6. n. 7. de LYNNCKER. in Analect. ad Struv. Synt. Jur. Feud. cap. 9. Aphor. 11.
- (h) KNIPSCHILD. de Fideicommiss. Famil. cap. 11. n. 394. seqq.
- (i) Ibi: licet alterum sine altero retinere non possit, (filius) agnatis tamen consentientibus poterit dominus eum, si voluerit, quasi de novo beneficio investire, quo facto licet ei repudiata haereditate feudum tenere, nullo one-
re ei haereditario imminentem.

§. XXXI.

VERUM haecce argumenta contraria facili diluuntur negotio. Etenim ad imum respondeo, illam distinctionem post inventum Jus Romanum (a) in plurimis provinciis exolevisse, & si ista distinctio revocaretur in usum, patrimoniorum possessoribus a laribus & focis discedendum esset. Ipsomet BÖHMERUS, (b) magnus Juris German. patronus fatetur, quod introducto in Germaniam testamentorum usu contra morem antiquorum Germanorum bona haereditaria seu avita sub dispositionem testatorum hinc inde ceciderint, & his integrum fuerit, proximos haeredes ab illis excludere. Idem cum innumeris aliis fatetur celeberr. Dnus HELLFELD (c) inquiens: Saeculo XIV. & XV., dominante in nostris foris peregrina Jurisprudentia, repudium in plerisque Germaniae provinciis patriis missum est juribus, peregrina in eorum recepta sunt lacum, & cuilibet libera tum de avitis, tum de acquisitis allodiis disponendi facultas est concessa. Perpacae tamen hinc inde, velut ex naufragio, pristini Juris observantur reliquiae &c. nec aliud dicendum de feu-

feudis, ratione quorum à veteri germanorum instituto paulatim ex principiis Juris Longob. recessum, adeo ut haec in plurimis provinciis expressa lege fuerint comprobata. (d)

- (a) L. 14. D. de contr. Empt. ibi; sed quia gravis haec videretur injuria, quae inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti, superiori lege cassata sancimus, ut unusquisque suo arbitratu quaerere vel probare possit emptorem.
- (b) Diff. de fundam. paetor. famil. ad fideicomm. inclinant. cap. I. §. 2.
- (c) Diff. de restrict. illustr. alienand. facultat. cap. I. §. 14.
- (d) Teste Hornio in Jurispr. feud. cap. 16. §. 26.

§. XXXII.

AD 2dum etiam uxorum, familiarium & amicorum mentio quam saepissime injicitur in tabulis conventionum, non solum super allodii, sed etiam feudis initarum; quis autem inde illico inferet, horum consensum absolutè necessarium fuisse? aliud est, in consilium rei vocari, aliud ejusmodi consensum praebere, sine quo negotium subsistere nequit; nam alias sequeretur, ipsos quoque Imperatores & Principes, quibus suarum conjugum & matrum consensum adsensumve adhibere visum est, id non aliter, quam hoc accedente potuisse perficere. (a)

Jam suo tempore observavit Tacitus, (b) quod Germani nec consilia uxorum suarum aspernati fuerint, nec earum responsa neglexerint. Imò Plutarchus (c) narrat, consultationibus omnibus apud Celtas de pace deque bello foeminas adhibitas, & lites cum foederatis aut Sociis populis exortas earum interventu decisas esse.

esse. Interim haud nego, antiquam bonorum avitorum & acquisitorum differentiam, & quod in alienatione illorum consensus liberorum exhibitus fuerit, ex diplomatis egregie confirmari, sed corruente hodie fundamento (§. antec.) corruit & id, quod eidem superstructum est.

- (a) Exempla de Theodora uxore Justiniani vid. in nov. 8. cap. 1. de Sophia matre, & Elisabetha uxore Ludovici Thuringiae Landgravii apud HAHN coll. monum. vet. part. 1. p. 92. de SOPHIA uxore OTTONIS Burggravii de KIRCHBERG apud MENCKEN. script. rer. Germ, tom. 1, p. 710.
- (b) De morib. Germ, cap. 8. circa fin.
- (c) De virtut. mulier. apud Jo. CHRISTOPH. VETTER. in not. perpet. ad Tacitum d. l.

§. XXXIII.

AD 3tium Jus feudale Saxon. & Alemann. quidem non omni planè destituuntur usu, ut putant de LUDEWIG (a) & HARPRECHT von Harprechtstein (b) (faciunt enim ad illustrationem veterum consuetudinum germanicarum, quatenus in vigore retentae, & post receptionem Jur. Feud. Longob. non abolitae sunt: ad illustrationem; inquam, non probationem, quia compilator, de consuetudinibus suorum temporum testans, solum probabilitatem operatur, non fidem iuridicam, eo quod per unicum testem, praesertim injuratum, consuetudo suffcienter haud probetur.) Verum nota notius est, ab ipsisque strenuissimis binorum illorum speculorum Saxonici & Suevici propugnatoribus conceditur, illorum compilationes privata opera esse confectas, & nunquam vim legis accepisse. (c)

Unde


Unde consequitur, quod dicta duo specula decisionibus causarum non inserviant, nisi consuetudo in illis contenta adhuc hodie obtineat, & hoc probari possit. Sed sic secundum talem consuetudinem non ideo, quia ejus in istis speculis sit mentio, sed quia legitime probata est, judicatur, id quod nihil novi est, & in aliis quoque causis, ubi ad consuetudinem provocatur, & ea probatur, fieri debet. (d)

- (a) In der Erläuterung der guldenen Bulle T. 2. p. 1501. & in praefat. de Jur. Clientel. §. 8.
- (b) De non usu specul. suev. & praesertim Jur. Feud. Alem.
- (c) Büri Erläuterung des teutschen Lehen - Rechts p. 171. usque 201.
- (d) Valde notabilis est textus ord. Jud. Imp. Aul. tit. 5. §. 1. in fin. ibi: Also es auch in Lehen - Streitigkeiten zuhalten, jedoch daß in deren Relation vornehmlich die Originales Investiture, und was für Pacta darin ausdrücklich besgriffen, wohl erwogen, und dann NB. gegen Unsern klaren Lehen - Rechten den allegirten, aber nicht zu recht probirten Lehen - Gebräuchen, NB. sonderlich in unseren Kayserl. Welschen Lehen - Fälligkeiten nicht zu viel in Relatione, noch Decisione deferirret werden. *Vel ex unico hoc loco adversariorum arma satis obtundi puto.*

§. XXXIV.

AD 4tum: communes opiniones Jus hand faciunt; sunt enim saepè communes errores, qui veritati praejudicare nequeunt, & dantur etiam opiniones communes contra communes. (a)

Si forte perfectior est veritas, à multis, quam paueis prolata, tunc difficulter triumphabunt adversarii, quia plures pro authoritate Jur. Feud. Longob., pauciores vero pro speculo Suev. & Saxon. pugnant. Quan-



Quantam violentiam multi dissentientium textibus 2.
f. 45. & 2. f. 51. §. 4. ipsa luce meridiana clarioribus in-
ferre conati fuerint, hosce textus de feudo haeredita-
rio perversissimè interpretantes, (b) illi, qui saepe di-
ctorum speculorum amore capti etiam dissentiant, ipsi
vel inviti agnoscunt. (c)

(a) BÖHMER. introd. in Jus. D. lib. 1. tit. 3. §. 22. Coccej.
Iur. contr. lib. 1. tit. 3. qu. 16.

(b) Vid. E. G. ROSENTHAL de feud. c. 7. concl. 21. seqq.
ANDR. KNICHEN. de vestitur. pacl. part. 1. cap. 2. n. 286.
seqq.

(c) BÖHMER. tom. 1. part. 2. consult. 87. n. 41. de LUDOLF.
de introd. jur. primog. part. spec. aph. 6. §. 6. ubi scribit:
textum 2. f. 45. de feudo quoconque propriam naturam
habente accipi debere firmissimis rationibus evicit HARTM.
Pistor (scilicet lib. 2. qu. 2. & 13.) eique vim inferri, si
de feudo haereditario intelligatur, alii ostenderunt.

§. XXXV.


AD 5tum frustrà nobilium immediatorum filii ad con-
suetudinem Franconiae, tanquam ad sacram an-
choram confugint. Certe de tali consuetudine, si du-
bio, ut à pluribus fingitur, careret, altissimum non te-
nuissent silentium viri Jurium Equestrium peritissimi,
KNIPSCHILD nimirum, Burgermeister & Ertelius. Con-
trà hic posterior in suis observationibus illustr. Jurid.
Equestr. obs. 37. consilium suppeditat, qua ratione bo-
num nobile, aere alieno gravatum, ab ejus possessore
conservari, & ab interitu liberari possit, sed de com-
mentitia consuetudine separandi feudum ab allodio ne
unicum quidem verbum facit, manifesto indicio, quod
de praetensa ejusmodi observantia Equestri saltem ipsi
nihil constiterit. Non sufficit, consuetudinem allega-
re,

re, sed oportet quoque eam legaliter probare, quia
Iudex nudis assertis nullam fidem tribuit. Ipsem
ego ante aliquot annos in simili causa patrocinium
praestiti, ad observantiam Equestrem Franconiae,
tanquam rem notoriam non minus, ac ad sic dictum Jus
Germanicum provocans. Verum gratosi domini mei
Principales ob defectum legitimae probationis, & quia
imploratum desuper splendidissimum Directorium E-
questre consuetudinis allegatae testimonium in praecu-
dium veritatis & Justitiae dare non potuit, causa
cederunt. Error, quem hac in re à pluribus com-
mitti puto, partim inde, quod praetenita illa consue-
tudo Equestrium principiorum systemati, utpote in
conservationem familiarum illustrium laudabiliter in-
tentio, ad primè quadret, partim ex eo, quod bonis
nobilibus qualitatem bonorum avitorum inhaerere cre-
dant, originem suam traxisse videtur. Ast convenien-
tia, seu sic dicta ratio statū legem non facit, nec cre-
ditoribus Jus quae situm adimere potest, neque qual-
itas bonorum avitorum, deficiente pacto aut speciali,
eaque certa & continuata consuetudine familie, praes-
sumitur, cum multis exemplis probari possit, ipsaque
experientia vix non quotidiana doceat, quod allodia,
utut à multis retro annis ab una familia possessa fuerint,
tum per filias, tum per alienationem à possessore nobili-
tam inter vivos, quam mortis causa factam, & qui-
dem non attenta agnatorum contradictione, ad extra-
neorum manus devenerint.

§. XXXVI.


AD dictum: Praxis illa ex cavillatoria interpretatione
Juris Feud. Longob. (§. 34.) initium vitiosum sump-
sit,

G



sit, (a) quod cum aliis Juris Feud. Longob. iniqui contemptores probè inspexerint, sed tamen deprehendent, praxin illam, utùt errore innitentem fundamento, ex speculo Saxon. & Suev. juvari posse, praetensam majorum nostrorum consuetudinem longaevo usu in vigore retentam esse dixerunt, ut tali modo obsoletis istis binis speculis autoritatem, qua tamen semper caruerunt, conciliarent. (b) Ut cunque vero res se habeat; hoc certum est, quod plura rerum pro & contra judicatarum exempla, sibiique invicem contrariantia JCtorum Famigeratissimorum responsa prostent, (c) adeoque ab Adversariis ad praxin & consuetudinem constantem neutiquam provocari possit. Sed quando praxi constantia sua, aut consuetudini sua deicit conformitas: leges autem certae & clarae extant, (§. 28. not. a.) non secundum illam, sed secundum has pronuntiandum esse, quilibet facile intelligit. Ad minimum omnes fateantur, necesse est, quod circumstantiae speciales diversam efflagitent decisionem, & valde periculosum, imo Jurisprudentiae pestilens sit, sine inspectione actorum & ponderatione circumstantiarum ilico praejudicia, ex eisque praxin effingere, cum à sententia, quippe quae tantum Jus inter partes litigantes facit, ne aliquod quidem praejudicium peti possit, nisi rationum similitudo accedit. (d) Neque etiam dicasteriorum & JCtorum modernorum minor est authoritas, quam priscae aetatis, ita ut ex diversis sententiis eligere possint eam in judicando sequendam, quae Juri & Justitiae convenientior videtur. (e) Elegantissime Mauritius (f) praejudicia, inquit, magnam quoque prae eos partem faciunt, si recte iis utatur aliquis, ac omnia, quod rarissime contingere solet, congruant, nec Juri manifesto repugnant, aut à pluribus numero super-
ren-

rentur. Est verò usus tunc praecipuus, si dubia statuti vel legis verba iis declarantur, aut ambigua consuetudinis controversia definiatur. Profecto Judex, qui normam sui judicij non aliam, quam ab ejusmodi exemplis peteret, insignem, ut DECKHERRUS recte statuit, (g) proditurus esset vel iniquitatem vel imperitiam. Ad praxin Camerae Imperialis speciatim quod attinet, eo temerius ad illam provocatur, quo certius est, nihil praejudiciorum nomen mereri, nisi concluso totius Collegii Cameralis fuerit adprobatum, & eo fine, ut in futuris causis similibus esset sequendum. (h) Quis verò hactenus probavit, aut adhuc probare vallet, quod Antagonistarum opinio ab August. Camera Imperiali per Conclusum pleni, seu decretum generale, durch einen sogenannten gemeinen Bescheid, cujusmodi decreta generalia publicari consueveré, & vim legis provisionalis habent, (i) unquam recepta fuerit? Tantum abest, ut adversarii salutem, quam quaerunt in praxi Camerali, inveniant, ut potius repulsam ferant. Assertorum meorum testem habeo omni exceptione majorem, est is Dnus Assessor Cam. Imp. L. B. de CRAMER, vir de Jurisprudentia praeclarè meritus, qui in suis observationibus Juris Universi (k) sententiam meam quibusdam praejudiciis recentioribus non modo egregiè firmat, sed etiam insimul rationes dubitandi & decidendi, omnésque facti circumstantias, quae mihi, cum Wetzlariae degerem, jam ante publicationem sententiarum Cameralium notae perspectaèque fuerunt, fideliter adducit, adeo ut haecce nova rerum in Camera judicatarum exempla reliquis omnibus praejudiciis antiquioribus, quae alii simpliciter, omissis facti circumstantiis, allegant, alii autem ex aliis



aliis bona fide, & caeco, ut plerumque accidit, even-
tu exscripsere, facile palmam praeripiunt.

- (a) Vid. L. 39. D. de LL. ibi: quod non ratione introdu-
ctum, sed errore primū, deinde consuetudine obtenu-
tum est, in aliis similibus non obtinet.
- (b) Quantopere speculum Saxon. jam olim eviluerit, patet
ex Bulla Papae GREGORII XI. de An. 1373. apud GOL-
DAST. in collect. consuet. & LL. Imp. in praefat., in qua
summus Pontifex hocce speculum maximè suspectum redi-
dit, imo in certis articulis penitus damnavit. Quanta
è contrario fuerit authoritas Pontificis, liquet ex ipso
speculo suevico lib. I. cap. 5. ubi dicitur. us denen zweyten
Büchern (scilicet ex Decreto & Decretalibus) nimmt
man all die Recht der geistlichen und weltlichen Gerichte be-
darf.
- (c) Satis multa indicat LUDEWIG. de obligat. success. in Prin-
cipat. pag. 122. seqq.
- (d) De LUDOLF. comment. system. de Jur. Camer. Sect. I.
§. 10. n. 42. circa fin. p. 119.
- (e) De LUDOLF. c. I. in animadvers. ad observ. MAGENHORST.
obs. 24. p. 382. & 383.
- (f) JCtus aetatis suae celeberrimus, postea Assessor Came-
rae in praefat. ad Consilia Kiloniensia.
- (g) In praefat. ad relat. Cameral.
- (h) DECKHERR. c. I. & in vindic. ad BLUM. Proc. Cam. tit. 2.
n. 19. seqq. ubi de obseruantia Camerali plurima notatu-
digna tradit.
- (i) Vid. Recess. Imp. de An. 1570, §. 77.
- (k) Tom. I. obs. 251. pag. 369. obs. 280. p. 627. & obs.
422. p. 934. ubi praejudicium maximè notabile occurrit
in Sachen der Gebrüderen von Sternfels wider die Gebrü-
dere von Thüngen.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

7mum Argumentum contrarium semper mihi visum fuit fortissimum. Quamvis enim feudum à fideicommissio, utpote allodio, maximè differat, respectu tamen ad familiam habitu nulla inter utrumque differentia, ut in personis agnatorum clare cernitur, intercedere videtur. Nam sicut fideicommittens rem suam ad posteros transire, ac in familia manere cupit, ita idem cupit primus feudi acquirens: Sicut haeres fiduciarius non potest alienare rem fideicommissio gravatam, ita feudi successor rem feudalem alienare nequit: & sicut in fideicommissis non ultimo possessori, sed fideicommittenti succeditur, ita in feudo ab agnatis (cur non etiam à filiis?) primo succeditur acquirenti. Sed salva res est. Ex adversariorum argumentis tantum probatur, quid forte statuendum esset, si leges feudales deficerent, feudique indolem in personis filiorum aliquo modo non inflexissent. Non est Doctorum, de legibus, an concinnae, an cohaerentes sint? sed secundum leges judicare, cum Jus authoritate publica receptum privato ausu eliminari non possit. Neque etiam paritates modò adlatae stringunt. Non ima; ex eo enim, quod quis feudum pro se & omnibus suis descendenteribus acquisiverit, non statim inferri potest, quod quis voluerit fideicommissum familiae introduce-re, cum in dubio fideicommissa, nisi de voluntate fideicommittendi constet, non temere praesumenda sint. Nam alias etiam ex illo principio, quod non solum pro nobis, sed etiam haeredibus nostris contrahamus, sequeretur, rem v. g. titulo emptionis comparatam, & ad emptoris haeredes devolutam fideicommisso subja-cere, id quod certè omnes, spreta antiqua bonorum haere-

haereditariorum seu avitorum qualitate, negaturi sunt.
 Non 2da: quoniam prohibita alienatio feudi interesse
 domini directi, non familiae vasalli, primario respicit,
 cum nequidem primus adquirens de feudo pro lubitu
 disponere possit, quod tamen in fideicommittente se-
 cucus est. Neque etiam 3ta stringit paritas; nam agna-
 ti non ideo primo adquirenti succedunt, quia feudum
 jure fideicommissi censetur, sed quia Jus ex pacto, do-
 minum inter & primum vasallum inito, quae situm ha-
 bent, id quod Jus non illis invitatis à defuncto feudi po-
 sessore, bene tamen hujus filiis, utpote causam suc-
 cessionis à patre habentibus, cum consensu domini, sic
 disponentibus legibus feudalibus, adimi potest. De-
 nique fideicommissa conservationi familiae destinata
 sunt, unde etiam successio agnatis fideicommittentis
 competit, & filius fideicommissum à patre, etiamsi hu-
 jus haeres sit, alienatum redditio pretio revocandi fa-
 cultatem habet. Sed finis feudorum primarius est fide-
 litas & praestatio servitiorum, sive substantialium, quip-
 pe quae ex fidelitate fluunt, sive naturalium, puta
 militarium, aulicorum, aut aliorum, prout pacto de-
 finita sunt. Quodsi enim feuda conservationem fami-
 liae vasalli pro fine haberent, primis temporibus in
 dominorum potestate haud fuisset, ut, quando yellent,
 possent auferre rem in feudum à se datam, & quamvis
 successu temporis transmissio feudorum ad descendentes
 primi vasalli ex domini gratia invaluerit, eo ipso tamen
 feuda naturam fideicommissi non adsumperunt, sed
 nihil minus antè dictus finis eorum primarius in ho-
 diernum usque diem stabilis permanxit. Neque etiam
 credendum est dominum authoritatem suam eosque
 voluisse pessum dare, ut nequidem alienationem feudi
 à vasallo omnibusque ejus agnatis factam consensu suo
 in

in praejudicium filiorum, in quos tamen feudum per canalem patris derivatur, convalidare possit. Hactenus dicta egregie confirmantur in casu, ubi pater plurimas feudi aviti partes à fratribus suis pretio comparavit. Certè non erit tam iniquus rerum aestimator, qui neget, quod filius intuitu harum partium, aere paterno adquisitarum, causam successionis à patre habeat, adeoque pater, has partes feudales cum consensu domini oppignorans, filiorum suorum adsensu non indigeat. Et ne excipias, filium de in rem verso teneri, suppono, quod pater fratribus suis venditoribus pretium statim exsolverit, pecuniāmque, quam à creditore hypothecario postea mutuam accepit, ludendo perdiderit.

§. XXXVIII.

Egum ET ultimum obmotum nullius planè momenti est. Ut enim taceam, multa fieri posse per indirectum, quae directò fieri nequeunt, sententiamque contrariam creditoribus, commerciis & pietati, quam filius patri debet, valde nocivam esse, ob exceptionem illam, quam citatus textus à regula facit, non tantum, ut vulgo putatur, periculum creditori hypothecario imminet. Distinguendum est scilicet inter debita vasalli feudalia & allodialia. De his duntaxat loquitur textus, non vero de illis. Nam hypotheca, in feudo semel ritè constituta, ei induxisse inhaeret, ideoque Jus reale creditoris hypothecarii tam diu salvum manet, donec solutio facta fuerit. Unde vana est cautela, quam ad defraudandos creditores vasallo debitori cum aliis fuggerit celeberr. Dnus Car. Ferd. Hommel, (a) weil dem nun also ist, inquiens, das nach Char. fürgt.

fürstl. Sächsischen und Longobardischen Rechten, Kinder des Vaters Lehren und Erbe entweder zugleich antreten, oder sich beyder zugleich begeben müssen, so ertheile diesen Rath, daß ein in Schulden vertiefter Vater, der seine Kinder liebet, das Ritter-Gut in gratiam filiorum aufgeben, und noch bey Lebzeiten refutiren möge. Denn auf diese Art werden die Söhne darmit, gleichsam als mit einem neuen Lehnen, investiret. Freylich werden hier des Vaters Gläubiger erstaunlich wehklagen &c. Allein die Kinder antworten ihnen kurz und gut, sie hätten das Lehnen nicht Jure Successionis übernommen, sondern nāren gleichsam neue Erwerber, folglich Successores Singulares.
 (a) Ast huic cautelae leges obicem ponunt, ex quibus certissimum est, debitorem neque vendentem, neque legantem, neque fideicommissum relinquentem (nōque alio modo disponentem) posse deteriorem facere creditoris (scilicet pignoratitii seu hypothecarii) conditionem. (b) Imo etiam, patre feudum in frau dem creditorum allodialium refutante, actionem Pauilianam quoad feudi fructus, utpote allodiales, locum habere, non dubitandum est,

(a) In denen academischen Reden über Herrn Joh. Jacob Mascovs Buch de Jure Feud, in Imp. Rom. Germ. cap. 10. §. 25. p. 324.

(b) ut disertē habetur in L. 15. C. de pign. & hypoth. conf. L. fin. C. de obl. & act.

§. XXXIX.

IN Principatu Bambergensi, quantum ego scio, & ex ore Dni Praepositi supremae Curiae feudalis, des Herrn Lehren-Probstes (a) saepius percepi, principiis Juris Feud. Longob. meritò insistitur. Adhuc probè memi-

memini, me legisse relationes & protocolla tam antiqua, quam recentia, in quibus textus 2. f. 45. profundamento positus, votumque referentis ab Illustrissimo Reginine adprobatum est. Ad habendam mihi fidem quilibet facile movebitur ex eo solo, quod tota fere die in Curia feudali expediantur literae consensuales, quin de liberorum consensu tantum cogitetur, quid quod vasallus consensum domini eō citius impetrat, quo plures filios numerat. Si liberorum consensu opus esset, feuda fideicommissaria, quorum exempla Varia Curia nostra feudalis exhibet, à feudis ceteris nihil different.

(a) Ardua hac provincia in vigesimum jam annum summa cum laude fungitur excell. D. Consil. Aul. Jo. MELCH. HANAUER, vir sajē eruditissimus simul ac candidissimus, à quo multa haud vulgaria me doctum fuisse palam profiteor.

§. XL.

Sufficient pro hac vice illa, quae de consensu feudali in genere, & in specie de personis consentientibus adulii. Etenim mihi, aliis obruto laboribus, variisque impedito circumstantiis ingratiss, jam filum abrumpendum est. Quae de effectu tam hypothecae, quam pignoris feudalis, nec non de consensibus perpetuis Bambergensibus, qui à consensibus aliis, sive ad certum tempus, sive indefinite datis, toto coelo discrepant, constitueram ulterius differere, de his, volente Deo, mox duae dissertationes peculiares lucem sunt adspectuac.

F I N I S.

H

CORO.

COROLLARIA
EX
UNIVERSO JURE

EX
JURE NATURAE & JURE PUBLICO
UNIVERSALI.

1. *P*rincipium *Juris naturae* strictè sumpti, uti & *Juris publici universalis* in pace & tranquillitate externaponno.
2. *Usurae* non prohibitae sunt, licet eas accipiens contra regulas charitatis peccare possit.
3. *Tam Monarchomagorum, quam Machiavellistarum* dogma-
ta pestilentissima sunt.
4. *Paesta* cum haereticis & infidelibus inita servari debent.
5. *Praescriptio* an *Juris naturalis* sit? problema est.

EX
JURE CANONICO.

6. *Actio* spolii contra tertium b.f. possessorem non datur.
7. *In re pro titulo mensae legata* solum usumfructum, non au-
tem proprietatem legatarius habet.
8. *In causis saecularibus*, nequidem consentiente utraque parte,
ad Curiam Romanam appellari potest.
9. *Contra Legem amortizationis ex causis publicis & justis à*
Principe factam Ecclesia fundatas querelas movere non potest.
10. *An ex sententiis Concilii Tridentini licitum sit, ut beneficiati*
*vivant ex redditibus Ecclesiae & proventus patrimoniales relin-
quant consanguineis divitibus?* interrogatus respondebo.

EX

EX
JURE PUBLICO PARTICULARI.

- II. Sic dictum *Jus Principum* nec olim obtinuit, nec hodie regulariter obtinet.
12. In causis Ecclesiasticis, quae *Jura & obligationes ex Pace Westphal.* descendenta respiciunt, Imperatori *Jurisdictio competit*, quam &
13. In causis matrimonialibus Protestantium immediatorum Imperatori competere puto.
14. Utrum Nobiles Equestris Ordinis, aut etiam Barones solo charactere tales munera *Judicis Cameræ Imperialis* capaces sint? disputationis *Gratia problematicè defendam*.
15. Simultaneum Religionis exercitium nec annis decretoriis respectively 1618. & 1624., nec aliunde Instrumento Pacis repugnat.

EX
JURE CIVILI.

16. *Sententia*, quae in actione negatoria onus probandi auctori injungit, si reus est in quasi possessione servitutis, in punto *Juris* verior videtur.
17. Possessorium summarium non praecise ad metum armorum stringendum est.
18. Homo proprius in testamento habilis est testis.
19. Liberi uniti exhaeredari non possunt.
20. Immunitas a collectis praescriptione immemorali adquiri potest.

EX
JURE FEUDALI.

21. Figmentum est, quod in feudis nobilibus Bamberg. obtineat successio collateralium, quae se tantum fundat in gleichen Schild und Helm.

22. *Actioni, quā dominus feudum à vasallo illicite alienatum revocat, nullo prorsus, sive longo, sive longissimo tempore à quocunque sive b. sive m. f. possessore praescribi potest.*
23. *Vassallus post extinctam stirpem domini feudalism dominium directum cum utili consolidare non potest.*
24. *Opinio statuens, feuda Imperii esse oblata, falsanititur hypothesis.*
25. *Quomodo textus Ord. Cam. de an. 1555. part. 2. tit. 7. ibi: Ob auch Sachen vorfielen, Fürstenthum, Herzogthum, Grafschaften, NB. &c. belangend, so vom Reich NB. zu Lehen rühren, so einem Theil NB. gänzlich und NB. endlich abgesprochen werden sollen, derselbigen Erkanntnis wollen wir uns als Röm. Kaiser hierinn, doch sonst in anderen Sachen, dieser unser Ordnung unabbrüchig, vorbehalten haben, doch dieselbige aus dem Reich teutscher Nation nicht ziehen; interpretandus sit? in arena respondebo, & disputationis gratia problematicè defensurus sum.*

EX

JURE CRIMINALI.

26. *Si Medici & chirurgi de letalitate vulneris inter se dissident, pœnam homicidii ordinariam, etiam si pars Medicorum major vulnus letale esse dicat, non puto locum habere. Sed*
27. *Aliter sentio, si vulneratus telo lethifero in continenti decebat, & cadaver sine prævia inspectione terrae mandetur.*
28. *Fus aggratiandi Principi in omnibus delictis competit.*
29. *An & quomodo universitas delinquere, & puniri possit? item*
30. *An delicti perè reus, & sic quoad se, non tamen quoad nos convictus teneatur crimen sponte confiteri, aut à Judice quaesitus salva conscientia crimen negare possit? in arena respondebo.*

O. A. M. D. G.

ULB Halle
002 394 448


3



SH

VJ
18

Farbkarte #13



170, 2
F. 9. num. 2.

**ERTATIO
DE
NSU FEUDALI
RE, & IN SPECIE
DE
CONSENTIENTIBUS,
QUAM
CLARIIS, EX UNIVERSO JURE
DESUMPTIS
EX
TUS JURIDICI DECRETO
EO PRAESIDE
PRO
ROQUE JURE HONORIBUS
CONSEQUENDIS
ERGENSIUM UNIVERSITATE
OPUGNABIT
GEORGIUS RITTER,
& CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS,
WIRCEB, CONSILIARIUS AULICUS,
IVERSITATE INSTITUTIONUM IMPE-
RIALIS NATURAE PROFESSOR
LICUS ET ORDINARIUS.
L. L. Q. C.
RTII MDCCCLXX.**

KLIETSCH, ALMAE UNIV. TYPOGRAPHI.

